IO. ANTONII VIPERANI

LAVDATIONES TRES

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HABITÆ MESSANÆ

IN FVNERE

CAROLI V. IMP.
CAROLI REGIS PHILIPPI F.
REGINAE ISABELLAE.

PERVSIAE

Apud Valentem Panitium Mantuanum, Illuſtriſs. & Reuerendiſs. FVLVII CORNEI *S.R.E. Cardin. atq; Illuſtr. X. virûm, & Eccell. Collegij. V.I. Impreſſorem,* M D LXX.

REGI PHILIPO
CAROLI V. IMP. F.

Io: Antonius Viperanus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PIctores ſimulachrum patris tui Rex Philippe fortiſimi et clariſsmi Imperatoris penicillo adumbrarunt, nos eius animi mores atque virtutes oratione exprimere, & factorum gloriam in hominum memoriam diſſeminare ſtuduimus, illis certe nō minori pręmio vel laude digni, quo difficilius eſt animi lineamen

ta quam corporis effingere, & nobiliora & diuturniora ſunt ſcriptorum monumenta, quam picto rum tabellæ; quæ a paucis cerni poſſunt, & quæuis temporis vetuſtate & iniuria facile corrumpuntur. Ac quidem res a Carolo V. Imp. geſtæ, quod maxime illuſtres & egregiæ atque omni virtutum genere diſtinctæ eſſent, ad ſcribendum eius vitam multorum ingenia & ſtudia excitarunt: me vero etiam patriæ, quæ mihi cariſsima eſt, pietas, ne iuſta a meis ciuibus regi facta laudatione carerent, & tui, in cuius tanquam in Dei poteſtate ſum, ratio mouit,

vt eam orationem componerem, in qua patris tui expreſsam imaginem intuereris, quæ in te veræ laudis & gloriæ cupiditatem magis ac magis incenderet. Quamobrem ſi ſenſero eam tibi probari, non parum mihi ipſe gaudebo, & quodammodo leuiter blandiar, quod labores mei, cui potiſsime optabam, potentiſſimo & benigniſsimo regi non omnino iniucundi fuerint.

IO. ANTONII VIPERANI.

IN FVNERE

CAROLI V. IMP.

AD MAMERTINOS

ORATIO.

REgi noſtro & Imperat. CAROLO *in ſupremi eius diei celebritate merito a vobis Mamertini maximi & ampliſſimi honores fiunt: qãdoquidem maiores vita functis, q̃ viuentibus ſacro quodam pietatis iure debentur. Neque aliud eſt honor, quam cultus, qui vel dignitate, vel virtute aliqua præſtantibus viris exhibetur: regia vero dignitas & imperij eximia eſt, illiusq; virtus ſingularis ac prope diuina. Nec mihi quiſquam obijciat huiuſmodi honores aut mor*

tuos non videre, aut quamminimum curare: nam vt ad mortuos nihil pertineant, ad viuentes certe pertinent, ne aut obliteratæ beneuolentiæ, aut ſpretæ vel rationis, aut neglectæ pietatis, aut prætermiſſi officij culpa aliqua teneantur: ne dicam funerum exequias & conſolationem quandam habere huius vitæ miſeriarum, & ſtimulos ad æmulationem imitationemq; bonorum. ſiquidem ab omni labore vacationem & ab omni metu ſecuritatem in his proſequendis ſperare videmur, & iiſdem nos olim cohoneſtandos ornamentis gaudemus, quibus ſtudioſi homines poſt mortem afficiuntur, ſi illorum mores vita noſtra & factis expreſſerimus. tum quos oculis non cernimus his, quibus eos decoramus, honoribus intuemur. Quis hunc ſolemnem apparatum & illuſtrem pompam inſpectans ac tot faces titulos imagines tot ornamenta honoris tot laudis inſignia tantam ſpeciem funeris & dignitatem non præſentem Carolum videre ſe cogitat, & tanquam numen hoc ingenti honorum ſplendore & amplitudine illum venerari? Mihi vero latiſſimum campum, in quo decenter et tuto exultare poſſit oratio, dat inuictiſſim. Imperatoris virtus: quæ in huius vitæ curriculo diuina quadam ſorte longiſſime excurrere & cognoſci clariſſime potuit. Non enim intra columnas Herculeas concluſa ſed plus vltra di-

greſſa , neq; terrarum terminis coërcita ſed cæli regionibus factorum eius gloria terminata eſt. Et mortalium quidẽ nemo , dum ſpiritu aërem ducit , beati laudem habere poteſt : quoniam, dum viuimus, varijs & incertis caſibus ſubiecti ſumus , ita vt qui vitæ curſum absque vlla offenſione ſecundum habuerint , contingat his ſæpe acerbiſſimorum incommodorum plenus exitus ; & voluntas , quæ noſtrarum actionum eſt poſitum in noſtra poteſtate principium , ſic volubilis & inconſtans eſt, vt ſæpe leui aliqua voluptatis illecebra a ſenſu & appetitu de propoſita ratione flectatur . Quin neque bonam voluntatem ſuſcipere niſi Deo immortali duce, neque optatam metam attingere niſi eodem adiutore poſſumus . Qua de gratia , diuinæ inquam bonitatis & lucis communicatione quis , licet nullius culpæ ſibi conſcius ſit , in huius vite vſura ſibi quicquam audeat polliceri ? Quo circa per viam quempiam ſalutare IESV CHRISTI verbo cautum eſt : nec male poëta ille ex Solonis ſententia dici beatus

Ante obitum, inquit, nemo poſtremaque funera debet.

Atqui Regis & Imperatoris noſtri obitus ac vitæ finis pietatis nitore eſt , quam victorijs & triumphis curſus vitæ fuit, illuſtrior. Hanc benemeritos de rep. ciues, cum vitæ mu-

nere functi ſunt, laudandi conſuetudinem præ ceteris gentibus olim Greci & Romani moribus cultæ liberaliumque doctrinarum ſtudijs, ac bellicis artibus florentiſsimæ nationes diligentiſſime ſeruarunt. qui cum omnes claros viros laudari, tum eos maxime voluerunt qui pugnando pro patria mortem fortiter oppetijſſent. At quãto magis CAROLVS *prædicãdus eſt, qui non inter cæſorum aceruos occubuit, quod alienæ gloriæ inuidi homines illi vitio fortaſſe dediſſent, ſed ex periculis penè infinitis & ex media ipſa morte ad Chriſtiani populi libertatem & ſalutem defendendam diuino beneficio reſeruatus eſt? quique incredibili virtute imperij dignitatem retinuit, & ſumma felicitate remp. Chriſtianam amplificauit? Viuent memoria ſeculorum omnium res eius geſtæ atque virtutes claræ & egregiæ, ampliſſimiſque apud omnes honoribus celebratæ, illuſtratæ triumphis, in marmoribus literis inciſæ, ſcriptorum monumentis ab omni temporis iniuria & obliuione vindicatæ, ac ſimul iiſdem regionibus contentæ, per quas ſol ille mundi lumen & temperatio curſum quadrigasq; conuertit: quodq; idem nobis maximopere optandum & expetẽdum eſt, cuiuſq; gratia tantis vigilijs & laboribus in hac lacrymarum valle exercemur, diuinarum rerum intuitu mens eius inter cæleſtes angelorum choros ſplẽdidiſſima cũ*

gloria in æternum tempus aletur. Quamobrem mihi non tàm copia, quàm modus in dicendo quærendus eſt, ne multitudine rerum perturbata oratio tanquam in denſa ſylua errans repe rire exitum non posſit. Ac primum de imperatoria dignitate; tum de perfecto imperatore pau ca mihi dicenda videntur; vt ex ipſa rerum geſtarum commemoratione perſpicuum fiat quanta prudentia, & animi magnitudine illam CAROLVS *ſuſtinuerit, præclarum inuictæ virtutis, ac ſingularis iuſtitiæ, & pietatis exemplar. Eſt autem imperatoria dignitas poſt pontificiam, quæ verè diuina eſt a Dei filio, & hominis inter ſui cultores inſtituta; ſine vlla controuerſia prima, a Iulij Cæſaris temporibus vſq; in hunc diem sũma. Nam ille omnium rerum potitus non regis nomine, quod Romanis odioſum erat, ſed Imperatoris militari iucundo, & graui appellari voluit a quo deinde Imperatores non tantum bellorum duces, ſed omnium quoq; rerum domini, & moderatores dicti ſunt. Cuius honoris ſedes primũ Romæ fuit collocata; mox a Coſtantino Imp. qui tum Chriſti cultum & puram religionem ſuſceperat, vt Romam mundi caput & dominam orbis terrarum Chriſti vicario concederet, in eam vrbem deportata; quam de ſuo nomine vocauit; poſtremo a Grecis, quod Romanam Eccleſiam ſanctiſſimum grauiſſimumq; conſilium deſpica-*

tui ducerent, repetita, & ad Latinos tranſlata Pōtificis maximi auctoritate penes Germanos in hæc vſq; tempora permanſit. Habet Chriſtianorum cœtus, quæ Eccleſia dicitur, arma tum ad animi tum ad corporis tuitionem & ſalutem idonea, duos nimirum gladios, quorum alter cœleſtis eſt in manu ſummi Pontificis a diuino numine illi traditus, altero Pontifex Imperatorem cingit; quem ei muneri atque officio præponit, vt remp. chriſtianam ab externis, ac domeſticis aduerſarijs corporeis armis aſpectabilibusq; cuſtodiat. & quia in tuenda maieſtate Imperij ceteris fortitudine integritate, ſapientia, præſtare debet, triplici corona ferrea, argētea, aurea donatur. Quam maieſtatem Imperij cum tot annos Auſtrię principes diuino nutu & conſilio tenuerint, conijcere poſſumus quantum Deus immortalis auream iſtam familiam dilexerit & caram habuerit, ſi ea curat, quæ ad ſalutem hominum in ſe credentium pertinēt: quorum culpas proprio ſanguine redimere factus homo non dubitauit. Atq; hic, ad cuius exequias cohoneſtandas conuenimus, ſeptimus eſt a Rodulpho Harſpurgi comite, qui Boēmiæ rege Ottocaro perduelle deuicto Auſtriam iure belli adeptus eſt: quē duo Alberti, duo itidē Federici, ac Maximilianus ornati eadem dignitate ſubſequuti ſunt. quos quidem omnes CAROLVS *virtute, & opibus*

ſuperauit. Nam vna cum patrimonio paternæ familiæ adijt hæreditatem Hiſpaniarum, Hiſpanijsq́; ſubiectorum regnorum: quæ ab auunculi Ioannis morte, & Mariæ quatuor regis Ferdinandi filiarum natu maximæ Ioannæ matri ſuæ hæreditario iure obuenerunt. Quæ relicta a parentibus bona non ſolum eximia prudentia conſeruauit, ſed etiam diuina virtute, & felicitate auxit, vel ignoti quondam orbis terrarum multas magnasq́; regiones ad ditionem ſuam & imperium adiungens. Iam qui formam Imperatoris ſcriptis ſuis tanquam in tabellis effingunt hanc dant operam, vt multis virtutum ornamentis & vario honeſtatis ſplendore decora cernatur: ſed Homerus poëtarum facile princeps, atq; omnis eruditionis fons & magiſter Agamemnomen ducem maximi illius contra Troianos coacti exercitus a ſapientia, & fortitudine commendat; quoniam prudentiæ coniunctam eſſe magnitudinem animi neceſſe eſt, vt & intelligendo quæ ratio fieri velit, & gerendo quæ tempus poſtulet his præſtet imperator, quos dignitate & imperio anteit. quibus quoq; laudibus doctiſſimus & eloquentiſſimus Xenophon Cyrum ſuum, quem nobis tamquam perfecti regis ideam propoſuit, exornat. Quod ſi prudens eſſe debet imperator, ergo illi fugienda temeritas eſt,

quæ e regione contra prudẽtiam pugnat inimica conſilij & rationis; fugienda etiam intemperantia, quæ cupiditatum facibus hominem ad turpitudinem accendens inflammato impetu rationẽ e ſua ſede diſturbat. Et quonam pacto quis alios voluntati ſuæ poteſt obedientes reddere, a quibus ipſe intelligentia vincitur? aut ad ea pericula quempiam inducere, quæ ipſe declinat? Ex animi vero præſtantia. & intelligendi prudentia in ipſa dignitate maxima imperatori autoritas paratur, vt a milite ſuo non minus quàm ab hoſte obſeruetur; quandoquidem ſublata obedientia, quæ conuenientem rerum connexionem fouet, exercitus ſeipſe diſſoluit, quo nihil poteſt eſſe peruerſius. Alij fortunatum Imperatorem præterea volunt: & nos quoq; nõ vt propriam illius quærimus, quippe quam de ſe præſtare nemo poteſt, ſed illi a Deo, in cuius poteſtate eſt, ſecundam fortunam precamur; quæ niſi diuinitus hominum ſtudijs velut comes addatur, ad amplitudinem nominis, & gloriam per ſe ipſa virtus parum valere videtur. Fortunam autem intelligo cœleſtem quandam auram humanis rebus, quæ extra nos poſitæ ſunt, ſecũdam vel aduerſam a diuina voluntate effluentem homini occulta & ignota, cuius nulla ratio a nobis reddi poteſt, non aliquod per ſe numen a diuina ſummi illius rectoris prouidentia ſeparatum res huma-

nas inconſulto & temere adminiſtrans; quod a corde, & ab ore ciuis Chriſtiani abeſſe debet, qui vnum, & verum Deum opificem, ac moderatorẽ mundi colit ab æterno tempore vniuerſa prouidentem, & ſapientiſſime gubernantem non ſolum diuina, verum etiam humana. Atq; hæc omnia quæ in formando perfecto Imperatore docti homines afferunt, in noſtro CAROLO, *quantum fert humanæ naturæ conditio, ſumma fuere. Cuius res geſtæ maximam ſcientiam, & virtutem declarant exceptas, & educatas ſecundis euentibus. Itaque cum clariſſimis, & fortiſſimis Imperatoribus eſt quibuſuis rebus merito conferendus. Nam, præterquam quod excellente fuit ingenio, & ad arma nato & apto, tam varijs & innumeris bellorum hoſtiumq; generibus a prima adoleſcentia exercitus fuit, vt non ſolum natura, & præceptis, ſed etiam vſu, & experientia in ſcientiſſimum ducem euaſerit. Neq; enim inertię & voluptatibus ſeſe dedit, quas ætas florens appetebat, & fortunarum copia ſuppeditabat, ſed vigiliis, & laboribus omne tempus ætatis transmittendum putauit, ſine quibus gloria parari non poteſt: quæ virtutis quædam eſt vmbra, & non quidem par, ſed certe magnum & amplum & illuſtre præmium benefactorum. Quam bellicarum rerum ſcientiam magni animi præſtantia & fortitudine roborauit: qua prædi-*

tus neq; laborem v'llum perferre, vt mollis, neq; periculum adire, vt ignauus recuſauit honeſtam mortem deſidioſæ vitæ præponens; quod uita naturæ, virtus hominis propria eſſet. Præbuit ſe mirificam vtriq; ſapientiæ inquam & fortitudini ſociam proſperitas tanta, quantam a Deo vir impudens non auderet optare. Nullum enim bellum ſuſcepit, quod non proſpere adminiſtrarit; n.'llum prælium commiſit, quo non victor extiterit; nullam rem obijt, quā non fauſte feliciterq́; perfecerit. Vnam calamitatem excipio, quam ad Algerinm nullo ſuo vitio, ſolum aduerſa cœli tempeſtate accepit: ſed quæ animi excelſi robur incredibile, & diuinam eius virtutem aperte coarguit. Sed ne horum fides aliunde petatur, ipſa rerum geſtarum explicatio faciet quæ dicimus clariora. Placet autem narrationem ab eius ortu proficiſci, vnde principium vitæ ducitur, ex quo ſolent nonnulli reliquum vitæ curſum notare. Natus eſt porro Gandaui Flandriæ nobili, & illuſtri oppido a natali die IESV CHRISTI an:o M. D. V I. Kal. Martij. qui dies Apoſtoli Matthiæ feſtus illi bonus fauſtusq́; fuit, ad ſalutem, & memoriam nominis Chriſtiani fatalis, nobis poſterisq́; noſtris in honore habendus. Nam eodem die Imperator creatus, & corona inſigni imperij donatus, & glorioſas de hoſte, victorias conſequutus eſt. At V I. ætatis anno

Philip-

Philippum patrem amiſit. ac x. poſt annos mortuo Ferdinando materno auo, cui vehementer charus & ob ingenium indolemq́; diuinam vnice dilectus fuerat, ex Flandria in Hiſpaniam nauigauit. mox tribus annis elapſis in Maximiliani paterni aui demortui locum à Germaniæ principibus, ad quos ſpectat imperatorem creare, omnium ſuffragijs Imperator eſt abſens declaratus. Tanta generis claritas & amplitudo, tanta in eo indoles ſpecimenq́; virtutis inerat, vt grauiſſimos aliquin competitores adoleſcens in ſupremi honoris & dignitatis certamine vicerit. Et quoniam imbecilles & ægros animos nec caſtis moribus ornatos nec præclaris virtutibus inſtructos inuidentia facile occupat, dum ex aliorum ſecundis rebus & gloria minui res ſuas & obſcurari famam propter vehementem ſui amorem exiſtimant, ob prælatum in petitione Imperij Carolum quorundam male ſanorum principum mentes acer liuor inuaſit, atq; animos in diuerſas partes abripiens tandem manus ad pugnas armauit. quorum iniuriam à ſe Carolus diuina virtute & conſilio propulſauit. Operæ precium eſt autem primum eorum bellorum cauſas recenſere, quæ cum Franciſco Galliarum rege in tuendo iure ſuo & dignitate geſſit; tum victorias, quas à Chriſtianæ religionis aduerſarijs reportauit: vnde omnium malorum.

quibus reſp. Chriſtiana affecta eſt, culpam ab eo abfuiſſe cognoſcetis, & Chriſtianorum pariter vicem dolebitis, quod tantus Imperator fuerit a tam præclaris, & neceſſarijs ceptis contra noſtræ ſalutis, & religionis infenſiſſimos hoſtes nõ humanis, ſed diabolicis artibus conſultisq; diſtractus: quem ſperare erat vniuerſam Greciam & ſacrum IESV CHRISTI *domini noſtri ſepulchrum, quod a barbaris noſtro cum dedecore tenetur, aliquando recuperatum eſſe, niſi varijs, & importuniſſimis Gallorum armis diſtentus fuiſſet. Vita functo Maximiliano Imp. Carolus Maximiliani nepos, & Rex Gallorum Franciſcus in petitione dignitatis Imperatoriæ inter ſe concurrerunt: ſed propter ſummum generis ſplendorem, & diuinam ingenij præſtantiam, ac maximam opum facultatem (vt ante dixi)* CAROLVS *prælatus fuit. Quare Franciſcus, qui ſeipſum ſine riuali amabat, in eum graue odium concepit; atq; ad eius ſpiritus reprimendos, quos magnos eſſe ſentiebat, ne alienæ virtutis lumen ſuæ gloriæ officeret, aliquot Germaniæ principe, qui in eodem dignitatis certamine victi fuerant, ac potiſſime Henricum Angliæ Regem in ſui amicitiam pellicere conatus eſt; ortisq; in Hiſpania diſſenſionibus ex* CAROLI *in Germaniam diſceſſu, quo ad Imperij ſedem accerſitus fuerat; ſatis idoneam occaſionem ad occupandum Na-*

uarram ſibi oblatam eſſe putauit, verum Hiſpanienſes tumultus Adriani S.R.E.Cardinalis cõſilio, & diligentia ſedati ſunt, & Henrici amicitiam CAROLVS *ſolertiſſime præoccupauit. Et cum primum ex Hiſpania in Germaniam eundum ei fuit, quo tãtum ab inſidijs Gallorum iter haberet, qui non dicam a natura, ſed a morum, & opinionum varietate ſempiternas gerunt cũ Hiſpanis inimicitias, Franciſco promiſerat pro ea, quam in Neapolis regnum habere ſe actionẽ dictitabat, ſingulis annis aureorum C.M.ſoluturum, & Nauarram Henrico Regis* Ioannis *filio redditurum: ſed ad hæc promiſſa facienda adduci deinde non potuit, ne eorum regnorum ius imprudenter amitteret, quæ ab auo legitime acceperat; quod ea, quæ pollicitus fuerat, non ſua ſponte, & voluntate, ſed coactus ab ipſa rerum neceſſitate recepiſſet, vt illis ſtare a nulla lege iuberetur. Tum ægre ferebat Maximilianũ Sfortiam vectigalem Imperij a Franciſco vi armisq́; fuiſſe Mediolano priuatum, reputans ſecum ipſe quot pericula regnis ſuis conflarentur, ſi Gallos in Italia foueret gentem leuem ingenio, & arrogantem, ſtudentemq́; ſemper rebus nouis, ac regnandi maxime cupidam. Verum interea, dum regnorum ſuorum ſtatum componit a Leone X. Pontifice maximo ad recuperãdum e Gallis Mediolanum communibus copijs inuitatur. Nam*

eorum inſolentiã Pōtifex nullo modo perferre amplius poterat, quod Eccleſiæ iura iniuria ſibi vēdicarent, & Apoſtolicæ ſedis auctoritatem nullo cultu dignarentur, & effecti iam eſſent omnibus nihilominus quam olim Siculis odioſiores. Itaq; adducto exercitu a Proſpero Columna Frãciſco Daualo Marchione Piſchariæ, & Antonio a Leua Mediolanum recuperatur, & Franciſco Sfortiæ Maximiliani filio reſtituitur. Ex quo Rex inflammatus furore maximis ipſe cum copÿs alpes tranſcendit, Mediolanum obſidet, ac paucis diebus in ſuam ditionem, & poteſtatem redigit; munitoq; præſidÿs ad delendas Imperatoris copias, quæ Papiæ ſunt, exercitus aciem dirigit. nec detrectant noſtri certamen quanquã numero inferiores, ſed ingente animorum ardore & armorum pugnam ſuſcipiunt. Stat pauliſper anceps prima conflictione fortuna, tum ad noſtros ſe inclinat, tandem Rex maxima ſuorum cum ſtrage vincitur capiturq; VI. Kal. Martÿ ipſo Imperatoris natali die. Quo ſecundo euentu CAROLVS *nihilum elatus neq; pro iuuentutis natura, quæ inflatior eſt, neq; pro victoriæ conditione, quæ inſolentiores homines reddit, adductum ante ſe in Hiſpania Regem licet potentiſſimum, & acerrimum hoſtem pro diuina quadam ſapientia, & animi magnitudine non modo nullis incommodis affecit, ſed maximis beneficÿs*

ornauit, certiſq; pactis ad ſeruandam pacem cõditionibus liberum in Galliam dimiſit, & abeuntem munificentiſſime proſequutus eſt. Ita glorioſus adoleſcens animum ab omni lætitia geſtiẽte, & inſolentia cohibens, atq; in tanta fortunæ tantam obtinens lenitatem prudentiæ, & fortitudinis armis victoriæ conditionem, & ſeipſum vicit. Hæc reconciliatio gratiæ regis perculit non tenui metu animos Italiæ principum; cum etiamnunc impenſius a Franciſco Sfortia Franciſcus Daualus Mediolani arcem repeteret, quod parum in illo firmæ fidei ſuſpicione moueretur. Igitur Clemens VII. Pontifex maximus, qui tum Adriano ſucceſſerat, qui poſt Leonem paulo plus anno Romanam Eccleſiam gubernarat, & Veneti, & Franciſcus Sfortia contra CAROLVM *perinde, ac communem hoſtem ducti vana quadam formidine ſocietatem, & arma coniungunt, in quam ſocietatem etiam ægrum animum Franciſci Gallorum Regis alliciunt. Sed in omnibus prælijs fortuna, quæ fortes adiuuat, Imperatoris partibus, & gloriæ fauit. In his bellorum procellis Romæ aliqua detrimenta per Cæſarianos inſciente* CAROLO *importata ſunt. Nam prorex Neapolis, quo Põtificem a Gallorum ſocietate diuelleret, in illius damna Columnenſes immiſit, quod facinus Imperator grauiter improbans per literas Pontifici ſeipſum excuſa-*

*eorum inſolentiā Pōtifex nullo modo perferre am-
plius poterat, quod Eccleſiæ iura iniuria ſibi vē-
dicarent, & Apoſtolicæ ſedis auctoritatem nul-
lo cultu dignarentur, & effecti iam eßent omni-
bus nihilominus quam olim Siculis odioſiores.
Itaq; adducto exercitu a Proſpero Columna Frā
ciſco Daualo Marchione Piſchariæ, & Antonio
a Leua Mediolanum recuperatur, & Franciſco
Sfortiæ Maximiliani filio reſtituitur. Ex quo
Rex inflammatus furore maximis ipſe cum co-
pijs alpes tranſcendit, Mediolanum obſidet, ac
paucis diebus in ſuam ditionem, & poteſtatem
redigit; munitoq; præſidijs ad delendas Impera-
toris copias, quæ Papiæ ſunt, exercitus aciem
dirigit. nec detrectant noſtri certamen quanquā
numero inferiores, ſed ingente animorum ardore
& armorum pugnam ſuſcipiunt. Stat pauliſper
anceps prima conflictione fortuna, tum ad no-
ſtros ſe inclinat, tandem Rex maxima ſuorum
cum ſtrage vincitur capiturq; VI. Kal. Martij
ipſo Imperatoris natali die. Quo ſecundo euen-
tu* CAROLVS *nihilum elatus neq; pro iuuen-
tutis natura, quæ inflatior eſt, neq; pro victoriæ
conditione, quæ inſolentiores homines reddit, ad-
ductum ante ſe in Hiſpania Regem licet poten-
tiſſimum, & acerrimum hoſtem pro diuina qua-
dam ſapientia, & animi magnitudine non modo
nullis incommodis affecit, ſed maximis beneficijs*

ornauit, certiſq; pactis ad ſeruandam pacem cõditionibus liberum in Galliam dimiſit, & abeuntem munificentiſſime proſequutus eſt. Ita glorioſus adoleſcens animum ab omni lætitia geſtiẽte, & inſolentia cohibens, atq; in tanta fortunæ tantam obtinens lenitatem prudentiæ, & fortitudinis armis victoriæ conditionem, & ſeipſum vicit. Hæc reconciliatio gratiæ regis perculit non tenui metu animos Italiæ principum; cum etiamnunc impenſius a Franciſco Sfortia Franciſcus Daualus Mediolani arcem repeteret, quod parum in illo firmæ fidei ſuſpicione moueretur. Igitur Clemens VII. Pontifex maximus, qui tum Adriano ſucceſſerat, qui poſt Leonem paulo plus anno Romanam Eccleſiam gubernarat, & Veneti, & Franciſcus Sfortia contra CAROLUM *perinde, ac communem hoſtem ducti vana quadam formidine ſocietatem, & arma coniungunt, in quam ſocietatem etiam ægrum animum Franciſci Gallorum Regis alliciunt. Sed in omnibus prælijs fortuna, quæ fortes adiuuat, Imperatoris partibus, & gloriæ fauit. In his bellorum procellis Romæ aliqua detrimenta per Cæſarianos inſciente* CAROLO *importata ſunt. Nam prorex Neapolis, quo Põtificem a Gallorum ſocietate diuelleret, in illius damna Columnenſes immiſit, quod facinus Imperator grauiter improbans per literas Pontifici ſeipſum excuſa-*

uit,& damni facti recepit. tum Borbona prædæ ſtudio cum exercitu Romam inuaſit ad eius defenſionem languidiſſimo ſtudio incumbente Pontifice. ad cuius rei nuntium Imperator, qui tunc in Hiſpania natalem diem Philippi filij celebrabat, incredibilem dolorem accepit, & apud Pontificem iuſta ignorantiæ excusatione vſus eſt,& mandata ad ſuos dedit, vt obſeſſum in arce Sācti Angeli Pontificem quam citiſſime liberarent,& omnibus modis ex vrbe milites educerent: quos tamē a præda nullius oratio, aut vis poterat amouere. Et res quidem ipſa (vt grauiſſimorum hominum ſententias omittam) eum ab iſtius mali culpa abſoluit: quoniam nullum hoc facinus incōſideratius, & maiore a quoquam temeritate ſuſceptum, aut ipſi vidimus, aut ab alijs vnquam audiuimus. Nam quæ ratio in ſpem occupandæ Romæ potuit Borbonam impellere, qui collectū ex diuerſis gentibus exercitum,& ſine ſtipendio militem longis itineribus feſſum fractumq; intra inimicorum vires ducebat, vbi neq, commeatū, neque pecuniam belli neruos alicundæ ſperaſſet; quin etiam haud longe poſt terga hoſtili exercitu imminente? Cui ſi diem vnum qui Romæ erāt obſtitiſſent, altero die coactus fuiſſet omnium rerum inopia diſcedere. Sed habuit temeritas ex alterius ignauia, & formidine volente Deo, cuius ſunt occulta iudicia, ſecundum exitum: ex

quo vulgares, & imprudeotes homines res, non rerum conſilia iudicant. Tam ne igitur temerarium, & iniquum facinus ſubitum, atque inſperatum prudentiſſimi, & ſanctiſſimi Imperatoris conſilio factum eſſe quis autumet? Quod ſi Italiæ dominatum appetebat, ſi regnandi cauſa Iulij Cęſaris exemplo peccandum putabat, cur vrbem non retinuit? cur milites euocauit? cur Pōtifici damni facti recepit? quanquam obtrectatoribus nulla vnquam deeſt calumniandi anſa: quorum mens inuidia, os maledictione plenum eſt. Ita affectum Pontificis animum, & exulceratū Rex Gallorum appoſitis ſententijs contra Imperatorem alit: & in idem fœdus venit Rex Angliæ cum Venetis; qui in tanta Italiæ perturbatione, & tumultu quieſcendum ſibi non eſſe arbitrantur, quoſq; vt afflictam Pontificis conditi onem miſerentur, humanitatis aliqua ratio, & a Cæſarianorum armis, vt timeant, monet felicitatis curſus, & falſa quædam de victoris ambitione cum ſecundo rerum euentu creſcens opinio. Quorum tamen conſpiratio minus Caroli animū permouit, quam non ſeruata a Franciſco fides, quam in Hiſpania dederat, cum ſolutus, & in libertatem vindicatus fuit. Ideo quo tantum in vniuerſo terrarum orbe ſuis diſſenſionibus excitatum incendium vna ipſi pugna reſtinguerent, illum ad ſingulare certamen prouocauit ductus

Petri Terraconenſis, & Caroli Andegauenſium Ducis auctoritate, qui ſingulare certamen inter ſe olim inſtituiſſe ferunturq, uo de Siciliæ poſſeſſione litem dirimerent, quæ multis populis maximas calamitates attulerat. In quam pugnam renuit Franciſcus deſcendere: immo iterum cupijt CAROLO *reconciliari, quem in gratiã cum Pontifice rediſſe comperiebat, & rem ſuã in Italia male geri. ſiquidem clariſſimos duces a ſe deſciuiſſe, & præter alia incommoda Lotrecum, quem maximo cum exercitu ad expugnandum Neapolim miſerat, in ipſa obſidione maxima cum exercitus parte morbo conſumptum acceperat. Agnouitq; aperte in facienda pace* CAROLI *non ſperatam facilitatem. Et quid Deus bone a* CAROLO *aut humanitatis, aut caritatis, aut pietatis omiſſum eſt, quo Franciſcum in officio contineret, quando Heleonoram ſororem ſuam illi in vxorem commiſerit? Verũ non multo poſt tempore Franciſcum Maſſiliæ Põtifex conuenit, eiusq; filio Henrico Catherinam neptem ſuam in matrimonium dedit. Quæ affinitatis coniunctio grauem ſuſpicionem initæ contra ſe ſocietatis* CAAOLO *mouit, cum manifeſtam Pontificis inconſtantiam videret, & de Frãciſci erga ſe voluntate dubitaret. qui animum ſemper armatum gerens tum maxime ad turbãdam pacem Ligures e Gallia expulerat, & Ge-*

nuam neſcio quo iure repetebat. Et quidem Gallorum ingenium, & infirmitas multorum ſcriptis reprehenſa eſt, quod leues ſint, & in capiendis conſilijs mobiles, in ſuſcipiendis bellis alacres, in reſiſtendo imbecilli, ac molles. Tunc Imperator ſummos Italiæ principes maximis beneficijs, & honoribus ſibi deuinxit, & Franciſco Sfortiæ Mediolanum libere conceſſit, vt omnem appetitæ Italiæ dominationis ſuſpicionem a ſe remoueret, qui omne cum Chriſtianis bellum oderat, & ad debellandos amentia deprauatos hæreticos, ac turcarum audaciam reprimendã animum a pueris intenderat, vnde religioni fides, imperio dignitas, ſibi gloria, Chriſtianæ reip. ſalus, omnibus pax ocium & tranquillitas pareretur. Interea Frãciſcus Sfortia correptus morbo diſcedit e vita, & Franciſcus Rex Gallorum auito quodã iure Mediolanum ad ſe pertinere dicit, & Sabaudiam, cuius dominus Imperatorem affinitate attingebat, iniquiſſime, ac tumultuoſiſſime aggreditur. Qua de re certior factus Imperator in ipſo itinere, cum victor Rex Tunethe rediret, grauiſsimam orationem aduerſus Franciſci mutabilitatem, & peruerſitatem Romæ apud Paulum III. Pontificem maximum in Clementis demortui locum ab vniuerſo Cardinalium ſenatu ſuffectum in ampliſsimo patrũ cõſenſu habuit omnesq; teſtatus eſt non ſponte, ſed laceſſitum,

nō dominatus cupiditate,ſed defendendi ſui ſuorumq́; cauſa arma ſe capere;poſtremo ad ſingulare certamen ſeſe obtulit, ne duorū culpa Chriſtianæ regiones ſuorum cæde,& cruore plus pluſque fœdentur. tum confecto exercitu galliā braccatam,quam nunc Prouinciam vocamus, petere contendit:ſed propter immanem frigorum, & hyemis vim in hyberna Genuam rediit. Hoc interim Pontificis maximi ſtudio, & induſtria X. annorum induciæ inter reges fiunt. Nihilóminus Franciſcus quanquam arma depoſuit, voluntatē bellandi non exuit: & cum ſe penitus deiectum e ſpe recipiendi Mediolanum videt, aliquot Germaniæ principe Auſtrio generi priuatis quibuſdam odijs inimicos atq; in primis Cleuis ducem contrà CAROLVM *ſolicitat, & inuadere cum exercitu in Flandriam ſuadet eo ſcilicet tempore, quo Imperator ad expugnandum Algerium nauigarat; ipſe etiam multis copijs diuerſas partes, quæ in* CAROLI *ditione ſunt, vexat; atq; o nefandum & impium ſcelus ad Chriſtianorum cædes, & incendia religionis noſtræ crudeliſſimos hoſtes pollicitationibus, ac præmijs inducit. Quorum malorum nos ipſi teſtes ſumus, qui ſpectatores magna ex parte fuimus. Nos enim ipſi vidimus e tectis noſtris Calabriæ oras ſæuiſſima depopulatione vaſtari, & fœdiſſima flamma vrbes, & agros incendi. Quid referam virorum crudeliſſimam*

cædem? quid mulierum acerbiſſimam vexationem? quid captiuorum miſerrimam ſeruitutẽ? quorum lamentationes hinc ipſi nos ingenti noſtro cum dolore, & commiſeratione exaudiuimus, cum ſociorum miſerãdam calamitatem inſpectãtes nullum afflictis auxilium, & opem ferre poſſemus. In quam eandem calamitatem permulta aliarum regionum maritima oppida, & aliquot Mediterraneo mari circumfuſæ inſulæ inciderũt in Chriſtianorum ſtrage, & ſanguine ardentius bacchante Barbarorum furore. Quæ ora? quis ſinus? qui portus? quis toto mari locus a turcarum claſſe, & direptione tutus fuit? quæ ciuitas ſocia non ingenuit? quæ non indoluit tam tetram tam horribilem, tam fœdam, & infeſtam peſtẽ a Chriſtianiſſimo quondam rege fuiße, tam impie, tam ſcelerate, tam nefarie in Chriſtianorum regiones, & vrbes immiſſam? At vero Deus optimus, qui impios odit, & religioſos amplectitur, ex Maurorum telis Imperatorem defendit, & ex vndarum procellis eripuit, & incolumem regnis ſuis reddidit. Qui vſus eadem cæleſti aura temeritatem Cleuis ducis facile domuit; mox ad contundendam regis audaciam Lutetiam Pariſiorũ maximo cum exercitu petijt expugnaturus eam vrbem, in cuius expugnatione vniuerſum Galliæ regnum occupatum iri videbat: tantusq; Pariſinorũ animos terror ſubijt, vt omnes manifeſtã

ſugam meditarentur. It obuiam Franciſcus maximis cum copijs & totius Galliæ nobiliſſimis ducibus non pro gloria, ſed pro ſalute dimicaturus. Iamq; duo potentiſſimi exercitus duobus clariſſimis regibus præſentia ſua & oratione milites ad certamen hortantibus prope aderāt ſumma cum virium contētione pugnam inituri, in qua totius bellii moles & omnium rerum ſumma vertebatur, cum Sanctæ Eccleſiæ caput IESVS CHRISTVS *dominns noſter Chriſtianorum labores, & clades e cœlo miſeratus mirum in modū regū animos inter ſe reconciliauit, & rem quaſi ex magna & nebuloſa tempeſtate in ſerenam tranquillitatem reduxit. Sed eam paulopoſt Franciſci mors perturbauit. Nam Henricus regno ſuccedens acer iuuenis, & ardens ſtudio belli ad renouanda Martis certamina ſtatim animū adiecit. itaq; oppida munire, & primarios Germaniæ viros aduerſum Imperatorem clam inſtigare & occulte cum Heluetijs ſocietatem inire cœpit. Nec prudentem Imperatorem iuueniles animi ardores, & aſtus latuere. quare aduerſus Hērici ſtudium & audaciam ſe ipſe quoq; inſtruxit: & inuito diſtractus ab eo bello, quod contra Germaniæ ciuitates, quæ hæreticorum partes ſequebātur, parauerat, Lothoringiam verſus caſtra mouit, ac iuuenilē animū & conatus conſilio, & virtute cohibuit. Nunc ad ea bella trāſeo, quæ cōtra*

hæreticos pro veritatis defenſione, & contra ve ræ pietatis hoſtes pro chriſtianorum ſalute & incolumitate geſſit: ex quibus intelligetis quãta pacis ornamẽta & belli ſubſidia Chriſtianæ reip. cõparaſſet, ni Gallorũ, aut leuitas aut inuidia illũ in magnis & diuturnis contentionibus habuiſſet. Equidem Io. Federicus Saxonum dux & Philippus Langrauius hæreticorum principes & fautores, dum Imperator armis in Gallia diſtineretur, pacto in Schemelcaldo Saxoniæ oppido cum pleriſq; Germaniæ principibus inter ſe fœdere Branſoicchi ducẽ contra fas omne poſſeſſione ſua diſturbauerant; et ad Imperatorem Langrauius audacter adierat, atq; arrogantiùs eum monuerat, ne quid contra ea, quæ ipſi geſſiſſent, moliretur, vnde permultorum principum odia in ſe cõuerteret. Quod facinus placuerat Imperatori ad concilium deferri, et cum ſemel atq; iterum citati adeſſe neglexiſſent, dux Saxonię et Langrauius perduellionis damnati fuerant. Et Martinus quidam Luther homo omnium ſceleſtiſſimus nuper in imperitũ vulgus prauas quaſdã opiniones et ſentẽtias cõtra Eccleſ. Rom. dogmata et inſtituta ſpargere cœperat, et nactus ſociũ amẽtię ſuę Ecolãpadiũ diſſolutũ perditũ et nequã hominem atq; ẽt adeptus ſectæ ſuę fautores maximos Germanię prĩcipes, Saxoniæ ducẽ, et Lãgrauiũ breui q ſub agnina pelle animũ gerebat lupinũ, multis

Germaniæ ciuitatibus malum venenũ infuderat. Non enim vlla peſtis eſt, quæ latius manet, quã hæreſis, præſertim ea, quæ felicitatem nulla noſtra cura, & labore comparandam proponit, cũ ingenium ſit omnium hominũ (vt Comicus poëta loquitur) ad libidinem a labore procliue; hoc autem magis, ſi principum auctoritate confirmetur: quorum mores, & vitæ rationes in populis ſubito ſequuntur. Ad quod peſtiferæ, & funeſtæ doctrinæ ſemen extinguendum omnem diligentiã C A R O L V S *adhibuerat: & quoniam, in popularium ſenſibus quod fibris inhæreret, facile extirpari non poterat, edicto cauerat, ne quid de religione, innouaretur, niſi ex decreto Sancti, & œcumenici Concilij a Pontifice Romano conuocandi. Tunc igitur ſuſcepto bello a Catholico Imperatore contra Principes hęreticos vndique ad eos copiæ ſubſidiaq; venerunt: L X X X. M. peditum, equitum X V. breui tempore collecta sũt, muralia tormenta C X X. currus ad ferenda onera D C C C. naues ad tranſmittendum flumina CCC. doleam Mamertini contagionem mali tam breui, tam late diffuſam? an tantam Germanorũ potentiam non periculoſiſſimis temporibus contra mauros turcaſq; conuerſam? Ceterum, qui non in hominum multitudine, & robore, ſed in Dei maximi dextera, & virtute ſpem omnem victoriæ collocauerat,* C A R O L V S *maiore ani-*

mo ſe bello contra ſceleratiſſimos, & nefarios duces accingit; & dum Langrauius in oppugnandis, & ad fidem ſuam adigendis vicinorum oppidis tempus terit, quam maximas poteſt copias armat; cumq; adhuc militum numero inferior longe ſit quam vt cum hoſte congredi poßit, nullam pugnandi copiam illi facit, ſed inſolentem iuueniliter exercitum prudente cunctatione debilitat, qui quoniam compoſitus eſt ex varijs hominibus, & horum laborum minime patientibus, qui bellis comitari ſolent, deficiente ipſum commeatu, & frigidiore tempeſtate adueniente dilabitur. Interea quoq; dux Mauritius Ferdinandi Caroli fratris legatus cum exercitu inimicorum regiones ingreſſus hoſtiliter omnia populatur & vaſtat. Quæ incommoda Langrauius animo agitans ſtuduit cum Imperatore paciſci: ſed cum nihil impetraſſet (nam indignum Imperatoria dignitate, & abhorrens ab æquitate CAROLO *videbatur tantam inſolentiam, & temeritatem impunitam relinqui) noctu contento itinere in Haidamum oppidum confugit, exercitumq́; dimiſit. Vnde finitimæ ciuitates in* CAROLI *poteſtatem venere, & qui inimicis fauerant viri primarij, & Schemelcaldicæ conſpirationis adiutores, & ſocij veniam ſuppliciter ab eo poſtularũt. At Dux Saxoniæ validioribus copijs ad omnem ſe euentum munit: contra quem Imperator ſi-*

gna conuertit, et victricem aquilam in Saxoniæ fines inferens ad certamen hoſtem quamuis numero militum priorem trahit, et momēto proſternit et capit. Quæ omnia tanta induſtria diligentia celeritate adminiſtrata ſunt, vt diuino nutu et conſilio geſta fuiſſe viſa ſint. Quare religioſiſsimus Imperator non ut Cæſar in Ponto ueni, uidi, uici, ſed totam uictoriam ad diuini numinis prouidentiam et uirtutem referens dixiſse fertur ueni, uidi, ſed Deus uicit. Et dux Saxoniæ licet iudicum ſententijs capite damnatus fuerit, tamē ab humaniſsimo uictore benigniſsime liberaliſsimeq; tractatus eſt. Langrauius quoq; tū in Imperatoris fidem et poteſtatem ſeſe dedit. In hac rerū quaſi malacie et tranquillitate ſubita quædam tempeſtas exorta maximo periculo Imperatorem obiecit. Nam Mauritius ægre ferens Lāgrauium ſocerum ſuum diutius in cuſtodia teneri, atq; hæreticorum ſtimulis incitatus deleta tot tantorumq; beneficiorum memoria, quibus ab Imperatore ornatus fuerat, clam cum Henrico Galliæ rege et ducis Saxoniæ et Langrauij liberis contra eum ſocietatem coiuerat; et poſtquā ſatis copiarum collegit repentina ui et ualidiſſimo impetu Cluſam, qua Harſpurgum ad Imperatorē tranſitus erat, occupauit uſus incredibili feſtinatione, ita ut Carolo nocte media effluente imbre cum aulicis et his tātum militibus, quos

ad cuſtodiam ſui corporis habebat, Vilacum fugere neceſſe fuerit. Verum vt ilex e ferro vires ducit, ſic CAROLVS *e periculis animoſior emergit: & interea, dum ſubſidia ex Italia & Hiſpania expectat, per Ferdinandum fratrē ſimulate cum Mauritio de pace agit: ille vero animo, & lætitia inflatus, ac ſi de Cæſare triumpharet, exultat, & cum ceteris hæreticorū principibus cuncta miſcet, & turbat. Quem inſolentem vtiq; dux Branſoicchi magis diuina ope fretus quam humana cum his copijs, quas Imperatoris nomine coëgerat, adoritur, & pugnantem debellat, & cedentem grauiter ferit. ex quo vulnere poſt triduum animam amiſit. Vt omnem hæreticorum vim, & ardorē concidiſſe vidit Imperator, ne quam crudelitatis notam ſuſtineret, Langrauium e cuſtodia liberauit, & filijs Saxoniæ ducis, qui his ipſis diebus mortem obierat, vniuerſa patris bona & familiæ inſignia & dignitatem reſtituit. Neq; enim perduelles ſæuius puniēdos cenſuit ne male effectos ceterorū principum animos acrius exulceraret; neque remiſſius agendum putauit, ne quem Imperij contemptum lenitas afferret, & impunitatis ſpes vlla poſthac improborum hominum audaciam educaret, ſeruans ſingulari cum prudentia iuſtitiæ modum, & æquitatem, ſic vt illi a cæleſti quodā numine dictum fuiſſe videatur.*

Hæ tibi erũt artes, paciq; imponere morẽ,
Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.

Hinc me res geſtæ contra turcas & mauros ad ſe vocant: quæ ſatis omnibus declarant Imperatoris non vulgarem in tuenda religione voluntatem & induſtriam: quippe cui ſemper in animo propoſitum fuit pro vera religione, ac ſuæ dignitatis officio Chriſtiani nominis hoſtes profligare, & geſtientem turcarum audaciam furoremque comprimere. Porro Solimannus turcarum dominus ad totius Europæ dominationem aſpirans iã ſecundo Hungariam ingreſſus cum CCC. M. delectorum militum exercitu maximum Chriſtianis metum, & terrorem incuſſerat: contra quem CAROLVS *inuicto animo cum XC. M. hominum profectus iuxta Viennam caſtra locauit; & admirabili arte copias ad pugnandum diſpoſuit. Cum vero erectus ſpe certa victoria diuina quadam præſentia pugnæ diem expectaret, Solimãnus victus præſtantia* CAROLI*, quod in eius opinor galea: cæleſte atq; inextinguibile lumen conſpexiſſet, quale in ſuis ducibus poëtæ ſæpius elucere congfingunt, nocte ſocia caſtra mouit, ſeq; ex eius conſpectu quam longiſſime proripuit. Ergo potentiſſimus & clariſſimus turcarum Imperator neque militum multitudine neq; famæ pudore ad pugnandum induci potuit, nec prælio victoriam ſed fuga ſalutem quæſiuit. Et non*

liceat acclamare egregiam, & ante hoc tempus inauditam, & inopinatam ſine vllo telo ſolum ipſa præſentia partam de tanto exercitu et turcarũ Imperatore victoriam? Per id quoq; tẽpus Andreas Auria cum aliquot roſtratarum nauium claſſe in Peloponneſum miſſus preclara facinora edidit: quibus ingentem occupandæ Græciæ pauorem turcis iniecit. Solimanno igitur ex Hungaria non prælio, ſed metu pulſo, atq; ita pulſo vt nũquam amplius auſus ſit incolumi CAROLO *redire, ad expugnandum Gulethã arcem prope Tunethem Imperator animum aduertit: quod inde maximum periculum Chriſtianorum nauigationibus & maritimis horis a prædonibus immineret. Nam Hariadenus AEnobarba, quem Barbaroſſam vulgo nominamus, vir multis victorijs & bellicis ornamentis clarus, qui grauibus ſententijs Solimanni animum ad vniuerſum terrarum orbis imperium excitauerat, ex Tunethe Muleaſem expulerat, & Muliroſetto fratri regnum addixerat, ac Gulethbam Solimãni nomine munierat ea nimirũ ſpe, vt aliquãdo ſub Turcarũ Imperiũ & fidẽ vniuerſa Africa redigeretur. Quamuis ergo a Gallorũ odijs nõ iniuria timẽdum ſibi eſſet, tamen in Deo ſpẽ ponens rerũ ſuarũ, quod iuſtũ & Chriſtianæ reip. vtile, ac neceſſarium bellnm moueret, magna cum claſſe in Africam profectus eſt, ac ſecundo vento Vticam*

tenuit, quem portum Farinę hodiæ vocant. Eius appulſu Barbaroßa grauiter perturbatus maiore præſidio Guletham firmauit, & claſſem in ſtagnum, quod facit inter Tunethem & Guletham influens mare, ſubduxit. Imperator ex Vtica legens oram antiquæ Carthaginis vbi in conſpectu Guletbę venit, milites in terram exponi iuſſit, & hoſtem a litore tormentis arceri, tum opportunis ad feriendum arcem locis tormenta diſpoſuit; poſtremo terra mariq; Guletham inuadens, quæ natura loci & artis opere inexpugnabilis videbatur, incredibili virtute, ac felicitate cepit, ſimulq; tota Barbaroſſæ claſſe potitus eſt. Sed dũ reficit propugnacula captæ arcis, Barbaroſſa cum XX. M. militum Chriſtianas aliquot cohortes adoritur. fit ad pugnã concurſus, pugnaturq; vtrinq; fortiſſime atq; acerrime: Sed Hiſpanienſes equites cum barbarorum equitum vim ſuſtentare diutius non poſſent, & circunfunderentur vndique hoſtes, Imperator ipſe, nõ aliter atq; olim Cæſar cedentes ſuos Neruijs primus in hoſtẽ factus exemplo ſuo ad pugnã retraxit, inter primos armatus procurſat, & ad prælium omnes cohortatus ad acclamationem Sancti Iacobi, qui ab Hiſpanis religioſiſſime colitur, ſtringit in hoſtes gladium; reliqui tanti ducis exemplo animoſiores effecti barbaros proſternũt feriuntoccidũt. Quo in prælio CAROLVS *præter ceteras victo-*

riæ laudes ciuicam coronam meruit. quoniã Andream quendam Pontium equitem Bæticum ex hoſtium manibus vulneratum ſeruauit. Tum cõtra multorum ſententiam decreuit Barbaroſſam perſequi, & ex Africa turcas omnino depellere. Quamobrem inſtructo exercitu caſtra Tunetbẽ propius mouentur ordines ducẽte Alfonſo Daualo Marchione Vaſti egregio, bono, & forti duce. Occurrit cum ſuis Barbaroſſa acceſſum ad vrbem quoquo modo inhibiturus. verum cõmiſſo certamine inferior diſcedit, atque intra oppidi mœnia ſeſe recipit. Et quamuis C.M. hominum in armis haberet, tamen artibus CAROLI præuentum ſe videns & induſtria circunclusum in maximam deſperationem venit; Et extra omnem rerum meliorum expectationẽ poſitus in captiuos Chriſtianos, qui in cuſtodiam coniecti fuerant numero VI. M. ferro & igne ſeuire ſtatuit animo ad crudelitatem præcipite. Sed dum in concilio eſt, captiuorum aliqui ſe primum, tum alios occulte ex catenis ſoluunt vel ex ipſis cuſtodibus aliquot a tanta crudelitate admiſericordiam commotis, poſtremo facto in cuſtodes impetu arce potiuntur: intra quam ſubito fumo ſignis nutu, & clamore ſublato Imperatorem aduocant. Vnde Barbaroſſa cum videt ſe neq; pollicitationibus neq; precibus neque vi poſſe arcem recipere, cum VII. M. turcarum in Hipponam, quam

modo Bonam dicimus, fugam arripuit; atq; inde loci mox cum X I I I. triremium claſſe, quam illic ante ad omnem euentum collocauerat, Algerium, quod oppidum Mauritaniæ veteres Romani Iuliam Cæſaream vocauerunt, ne in Imperatoris manus veniret celerrime profugit. Cuius fuga Tunethes ſine vlla concertatione in Imperatoris poteſtatem venit. eam Imperator Muleaſemi, qui a fratre pulſus e regno prius ad ſe confugerat, impoſito paruo tributo reſtituit, collaudatisq; captiuis Chriſtianis & auctoribus facinoris dignis muneribus affectis ad nos de Africa triumphans perlatus eſt; atque a vobis ſummis honoribus & pompa exceptus. At vero tantam felicitatem aliquot poſt annis graui iactura permiſcuit cæli turbulentiſſima, & formidoloſiſſima tempeſtas, quæ claſſem ad Algerium fœdiſſime vexauit. Nam cum ſtatuiſſet Algerium piratarum vnicum poſt captam Tunethem receptaculum euertere, vt ex omnibus oris Chriſtianorum nauigationibus & mercibus mare liberum tutumque pateret, eo cum ingente claſſe profectus fuerat: & nondum erãt omnes homines equi commeatus tela tormenta, et ad oppugnandum pertinens materia in terram expoſita, cum prima noctis vigilia magnis tempeſtatibus ſubito mare concitari, & vehementis imbris, & nimborum & procellarum & tur-

hinum ruina cum fulminum & tonitruum horrore cœlum vndique miſceri cœpit. Quæ tempeſtas cum biduum continenter ſæuiſſet, nauiũ aliæ collabefactatis lateribus ſubmerſę, aliæ vndarũ æſtu ad litus illiſæ & perfractæ ſunt, paucę ad anchoras deligatæ vim ventorum & fluctuum ſuſtinere potuerunt: & hominum alij cum ipſis nauibus ſalo obruti, alij, qui ad litus nando euaſerãt, ab hoſtibus immaniſſime cæſi: quanquam hoc ab hoſte periculum deinde qua potuit Imperator celeritate ſummouit. Spectaculum non modo hominibus, ſed vndis ipſis, & litoribus luctuoſum. At qui in terram ante deſcenderant maximo imbre madefacti & crudeliſſima tempeſtate deterriti neq; arma tenere neq; ſe miſeros ſuſtentare valebant; augebatq; dolorem commeatus iactura. nam tegumenta in nauibus reliquerant, & cibaria ſolum in duos aut ad ſummum tres dies ſecum aſportauerant. Nihilominus Imperator obiens egregij ducis, & militis munus humaniſſimis verbis acerbitatem omnium ſolatur, & primus in acie obuerſans dextera & virtute ſuos ab ingrueutium barbarorum armis defendit: nec quicquam vnquam, O mirabilem viri conſtantiam & firmitatem, in tot tantiſque rerum aſperitatibus, aut deſperatione deieciſſe, aut formidine contraxiſſe auimum viſus eſt, alacri & ſemper ca-

dem fronte, pluuiæ, frigoris famis patiens, atq; interdiu & noctu ſuis in acie præſens; vt eius virtutem admirati hostes CAROLVM *Deo cuipiam ſimilem eſſe, nec iam amplius mortalem, ſed de cælo lapſum aliquem ad ſalutem, & nomen populi Chriſtiani propagandum crediderint, & elatos a rerũ euentu ſpiritus alienæ virtutis admiratione repreſſerint. Sedatis iam fluctibus, & tempeſtate cõmutata aliquot alijs diſcriminibus vi qnoque ſuperatis milites in naues aſcendere iuſſit; ipſe vltimus conſcendit, qui primus in terram deſcenderat. Quod ſi uirtus aduerſæ fortunæ telis velut aurum fornacis flamma probatur, certe in his grauiſſimis periculoſiſſimiſque procellis* Imperatoris *perfectę virtutis laus maxima enituit. Iam Dragutbem archipiratam acerrimum & communem omnium hoſtem ab Ioãne Vega pro rege noſtro ex Aphrodiſio pulſum, & oppidum natura & arte munitiſsimum breui temporis ſpacio paruis copijs vix LX. noſtrorum interitu expugnatũ quid: opus eſt me vobis Mamertini recenſere, qui eius belli participes & ſocii fuiſtis? Ex quo non minor ad omnes vtilitas quam ad ducem gloria peruenit. Enimuero pleriq́ue magis ſecunda fortuna in his rebus vſi ſunt, quas ipſi geſſerunt, quam in his, quas aliorum fidei commendarunt; contra alijs vicariorũ opera felicior & fortunatior fuit, quibuſdam vero*

ſummis Imperatoribus ij demvbiq; proſperitatis venti vſq; ad extremum vitæ tempus afflarunt: cuiuſmodi CAROLVM *habuiſſe videmus. Nam quantam per Ioannem Vegam? quantam per Branſoicchi ducem? quantas per Andream Auriam? quantas per Franciſcum & Alfonſum Daualos? quantas per Proſperum Columnam, Ferdinandum Gonzagam, & eos duces, quos Italiæ rebus præpoſuerat? quantas per eos, quos ad Indos miſerat, victorias eſt feliciſſime conſequutus? In cuius equidem felicitate hoc maxime ponendum arbitror, quod eius auſpicijs deuictæ, & a ferino cultu & vana religione ad veram, & ciuilem reuocatæ ſint regiones ab hoc noſtro terrarum orbe diſiunctæ, & priſcis illis Romanis, qui ſe terrarũ dominos appellabant, ignotæ. Quamobrem merito nunc regina volucrum aquila Imperij, & Auſtriæ ſtirpis inſigne oſtium Oceani, quod vtpote nulli hominum natura peruium domitor ille ferarum & mundi Hercules duabus columnis tanquam habitabilium regionum terminis præſepſiſſe dicitur, ſecundo volatu tranſmiſiſſe ſe gloriatur. Quæ quidem ego non ſolum* CAROLI *fortunæ, ſed etiam prudentiæ tribuenda exiſtimo: e cuius, ut ita dicam, ludo & palæſtra plures quam ex illo Troiano equo ſtrenui duces prodiere, non quales ſunt ficti illi Gallorum heroes, quos vulgus Paladinos appellat, ſed*

quales Imperatorum mater Roma produxit. Nec profecto iſti tanti fuiſſent, niſi CAROLVS ingenio & virtute præſtantiſſimus extitiſſet. Quapropter eius ætatem ſoleo vere auream prædicare, & Chriſtiani populi felicitatem ſimul attendere, quod in grauiſſimis temporibus, & turbulentiſſima tempeſtate is Imperator diuinitus nobis datus ſit, qui potentiſſimi & ſæuißimi hoſtis turcarũ inquam domini conatus effringeret, ac non modo Chriſtianorum fortunis imminentẽ ſed etiam ex infimo pectore crudelitatem inſatiabilem anhelantem belluam conſilio & ui longe e noſtris regionibus expelleret atq; eijceret, Imperator uere pius felix inclytus uictor triumphator auguſtus, & quod recte dixerim, pater patriæ quoniam remp. Chriſtianam labentem fulſit, afflictam erexit, perditam refecit, anguſtam explicuit, & coarctatam quam longiſſime dilatauit. Porro ſapientes uiri docent neminem in ullo uitæ & ſtudiorum genere perfectum eſſe poße, qui nõ & ingenij dotibus ornatus, & doctrinæ pdæceptis inſtructus & meditationis uſu perpolitus fuerit: quibus quaſi numeris expletum & omni laude cumulatum Imperatorem noſtrũ uidemus. qui a natura ſagacem uim ingenij, ac motus celerrimos adeptus totam ætatem in imperatorijs artibus conſumpſit non modo excellentium uirorum diſciplinis imbutos ſed magnorum du-

eum ipſe magiſter. Igitur hoc ingenio natum hominem & aſſiduo rerum uſu & exercitatione doctum credendum eſt neque per ignauiam quicquam omiſiſſe, neque per audaciam aggreſſum eſſe, quod intelligentia & ratio aut obire poſtulaſſet, aut aggredi prohibuiſſet; quorum alterum inertiæ, alterum temeritatis eſt uitium, utrumque Imperatoris uirtuti, & laudi ſummè contrarium: & qui tot uictorias, & triumphos a grauiſſimis hoſtibus reportauit, neceſſe eſt illum ſemper laborauiſſe, nunquam non uigilaſſe, ubique præſentem fuiße, nec copiarum multitudine, ſed militum uirtute confiſum, nec impetu quodam animi, ſed pleno prudentiæ conſilio diſciplina & ordine cuncta, quæ ad rem bene gerendam requiruntur, perfeciſſe. Neque uero in quo tot egregiæ uirtutes emicuerunt, deſiderata ſunt ea, quæ uirtutem maxime ſignificant, dignitas inquam oris, generiſque nobilitas. Nam regia ſtirpe prognatus, & in ea familia educatus fuit, in qua excellentiſſimorum Imperatorum per multæ imagines ad æternam factorum memoriam illum dies & noctes excitabant; oris uero forma digna pulchra, & uirilis, quæ ipſam imperij maieſtatem non mediocriter exornabat. Maxime autem eius animi excelſitas in laudis, & gloriæ ſtudijs apparuit,

quæ in altioribus animis vehementiora eſſe ſolet: qui eum regem miſerrimum eſſe aiebat, vtpote præſtantis ingenij & virtutis expertem, qui res dignas prædicatione vel ignauus ipſe per ſe facere neſciret, vel otioſus & voluptarius negligeret. Veruntamen qui Chriſti fide illuſtratus ſupra virtutem & gloriam aliud videbat, quo diuina gratia liceret aſcendere, non in honorum ſplendore, ac nominis prædicatione beatam vitã poſuit, atq; ij, quibus dies Chriſtianæ veritatis nondum illuxerat, ſed ad ſempiternam illam felicitatem comparandam omnes ſuas cogitationes vireſq; conuertit. Vnde quibuſdam illi obiectantibus ſcire quidem eum vincere, ſed neſcire more Cæſaris expedite victoria vti, quam Chriſtianæ, hoc eſt vere & ſapienter reſpondit, Cæſari vnicum vitæ finem fuiſſe propoſitum nominis prædicationem; ſibi vero cœleſtis gloriæ adeptionem: cuius gratia multa non facienda, multa etiam ferẽda ſunt. quam qui conſequi neglexerunt, multa contra ius faſq; patrarunt. Quis ne tota Italia potiretur, ne cunctam Germaniam occuparet, ne vniuerſam Galliam diriperet, quis vllis obſecro decretis aut copijs reſtitiſſet? At tantum valuit apud eum religio, vt pietatem & iuſtitiam cuiuſuis rei dominatione potiorem habuerit. Quoties vox illa Caroli audita eſt, ſi vniuerſam Galliam deuinceret, vniuerſa ſe tamen illa Franciſco lu-

bentiſſime ceſſurum, modo per eum ſibi etiam liceret tuto ſua poſſidere? Et de Germanorum, qui deuicti ſunt, bonis quid vnquam ſibi aſſumpſit, cum multa ſibi iure belli vendicare potuiſſet? aut quam crudelitatem in Franciſcum licet aduerſum virtuti inuidum gloriæ inimicum ſalutis ſuæ, cum captiuum baberet, exercuit? quam in Germanici belli duces? quamuis multa ex illorũ incolumitate ſibi metuenda, ex interitu nõ pauca ſperanda videret? Non Andegauenſium ducem Carolum regis Gallorum filium imitandum ſibi duxit, qui regi Conradino in bello capto Neapoli ſpectante nõ ſine lacrymis populo in foro caput e ceruicibus abſcindi ab humili, & abiecto lictore mandauit. In nullius non dicam corpus, ſed ne fortunas quidem ſæuitum eſt: ſolum his pœna inflicta, qui fœdiſſimis obſtricti ſceleribus omnes impetrandæ veniæ & miſericordiæ terminos modumq; tranſierant. Quin illius grata lenis & modeſta nulliſq; odijs inflammata victoria fuit, qui non intulit arma, ſed illatam vim repulit ſolum tuendi iuris & dignitatis ſuæ gratia. Et quidem ius ſuum, & dignitatem tueri lex omnis diuina & humana, ciuilis & gentium concedit. Atque ita ſe vbiq; geſſit, ita ius ſuum prudenter fortiterq; ſeruauit, vt neq; ob inertiam minui dignitatem ſuam permiſerit, neq; ob improbitatem iuſtitiam violarit, & inuictum ſem-

per animi robur oſtenderit, & omnem auaritiæ ſuſpicionem ambitionisque uitauerit. Vtinam Rex Franciſcus nunquam his temporibus fuiſſet, quibus CAROLVS *Imperium Chriſtianorum tenuit, non ſane tot moleſtijs remp. Chriſtianam tanto cum omnium malo implicuiſſet, neque optimum Imperatorem a glorioſiſſimis ceptis contra noſtræ fidei communes hoſtes ſua cum ignominia & dedecore abſtraxiſſet: quem uniuerſi non modo e Grecia ſed etiam ex Aſia turcas expulſurum fore, & ſanctam Hieruſalem, in qua* IESV CHRISTI *domini noſtri religione uenerandum monimentum eſt, e manibus barbarorum aliquando redempturum ſperabamus. Quas ob res illum auſim cum ſummis Imperatoribus & ingenij præſtantia, & animi magnitudine, & Imperatorijs artibus comparare. Græci laudibus unum præ ceteris extollunt Alexandrum Philippi Regis Macedoniæ filium a magnitudine rerum geſtarum magnum cognominatum. Is enim Aſiam bello deuicit & Darium regno Perſiæ ſpoliauit, ac per uaſtas Indorum regiones uictor excurrit. Atque iſtas tot tantasque res (quod certe mirabilius eſt, nec modo re, uerum etiam dictu inopinatum) florente ætate confecit, quarum minimam partem id ætatis nondum ceteri attigiſſent. Sed tantorum factorum gloriæ grauia quædam, & odioſa in re-*

ge, uitia quaſi tenebras offuderunt ſuperſtitio anilis ſuperbia non ferenda iracundia uſque ad manifeſtam inſaniam ebrietas in quouis homine deteſtabilis ac ſane tanta, ut tandem una cum uino turpiſſime animam exhalauerit. Quocirca in eo magis animi quandam excelſitatem & felicem temeritatem nonnulli admirati ſunt quã prudentiam & grauitatem. Nonnulli quoque hanc rerum geſtarum magnitudinem ex eorum, quibus cum bellauit, ingenio attenuare conantur. Nam cum Aſianis effœminatis & mollibus contendit armis, ex quorum ignauia & mollitie maior Alexandri uirtus emicuit. contra Annibalem in Cœlum efferunt, quod in Italia cum Romanis bellicoſiſſima gente aliasque uictrice XVII, annos feliciter bellum adminiſtrarit; ac tot conſules tot conſulares tot ſenatorij, tot equeſtris ordinis uiros uicerit, tot exercitus fuderit, tot oppida cæperit, tot populos in fidem ſuam receperit, ut Romanis, qui de deſerenda urbe conſilium ceperant, is, qui ab Annibale uictus non fuit, Maximus Imperator uiſus ſit. e quibus Alexander, ſi in Italiam exercitum illum ſuum traieciſſet, nou profecto magnam gloriam deportaßet, ſi non uti Rex Epirotarum Pyrrhus uictus ceſſiſſet. Omitto Græcorum hominum in ſcribendis

hiſtorijs vanitatem, qui non modo res illius geſtas contra hiſtoriæ leges pluribus ornamentis amplificarunt adulantes principem nimio ſui ipſius amore laborantem, ſed etiam ea literis mandare auſi ſunt impudenter, quæ nunquam geſta fuiſſent, ab ipſomet Alexandro repudiati, ne res ſuæ geſtę illorum mendacijs inuolutæ veritatis fidem amitterent. Multa etiam omitto non hominum opera, ſed malorum dæmonum arte perfecta: qui nempe tum huius mundi principes & tenebrarum rectores in mortalium animis grauiſſime dominabantur. Cum Alexandro Romani Cæſarem ęquant: quem equidem diſſimilitudine bellorum, magnitudine contentionum, numero pugnarum, varietate locorum, aſperitatibus rerum, celeritate conficiendi, arte militari & Annibali, & Alexandro præferre non dubito: qui poſt hominum memoriam domitis feris et immanibus nationibus profligatiſq; ſummorum ducū maximis exercitibus ſolus de vniuerſa Europa Africa Aſia triumphaſſe videtur. Verum & is quoq; tantam factorum celebritatem dominationis cupiditate tanquam veneno infecit, & cū totius Romanę reip. euerſione turpiſſimis maculis clariſſimum nominis ſplendorem aſperſit. Laudabilior certe virtus Scipionis illius Africani, qui de Annibale & Carthagine victoriā non ad proprias vtilitates ſed reip. commoda, non ad

ſuam

ſuam libidinem ſed patriæ conſeruationem, non ad priuatam tyrannidem ſed Romani Imperij maieſtatem contulit, vir cum liberalitate comitate clementia tum maxime continentia celebrãdus. Pompeium ſciens prætereo. nam vitæ infeliciſſimus exitus totam eius famam denigrauit, ac ſimul domum & fortunas euertit. At Galli regem ſuum Carolum magnum his ducibus parem faciunt, proculdubio omni laude & celebratione dignum, ac de rep. Chriſtiana benemerentiſſimum Imperatorem. Siquidem Longobardorũ regem Deſiderium bello ſubegit, & Italiam grauiſſimo barbarorum dominatu liberauit, & Saxones Pannones Dacas Iſtros edomuit, atque Aquitaniam, Vaſconiam multasq; alias patrio regno finitimas regiones in ditionem ſuam & poteſtatem redegit. In horum numero noſtrum regem & Imperatorem CAROLVM *ſummo nos iure ponemus: qui Imperatorijs artibus a pueris deditus maiorem ſuis Imperijs quam aliorum præceptis bellicarum rerum cognitionem et ſcientiam comparauit; quem nullus vnquam labor negociorum, nullus periculorũ metus ab honeſtatis, & honoris ſtudijs retardauit; cui non in prouidendo conſilium, non in agendo induſtria, nõ in conficiendo celeritas defuit; addiditq; ſemper ſpiritus maiores ſecunda fortuna, quę illius ceptis & conatibus leniſſimo vento aſpirauit. Ipſe So-*

limannum turcarum tyrannum licet copiarum numero ſuperiorem tamen excellēte virtute perterruit, perterritumq́; ex Chriſtianorum finibus longius extruſit. idem Guletham munitiſſimam arcem, atq; vna Tunethem paucis diebus cepit, & Barbaroſſam ſtipatum innumeris armatorū cateruis ex Africa expulit. idem duobus potentiſſimis ducibus deuictis de vniuerſa Germania, quæ iutra Danubium Alpes & Rhenum poſita eſt triumphum maxime inſignem egit, quod ante ipſum cōtigit imperatorum nemini idem Mediolanum vrbem vectigalem Imperij ex faucibus Gallicæ dominationis eripuit; & clariſſimum ac potentiſſimum Galliæ regem bella ſæpius renouātem bello ſæpius profligauit: quem ne vita & regno priuaret vna Chriſti religio prohibüit. Sed cum bellica laude ciuilem quoq; couiunxit: qui quantum in bellorum adminiſtratione bonus & fortis, tantum in gubernatione ciuitatum ſapiēs & iuſtus fuit, nihilq́; minus in couſeruando prudens quam in amplificando imperio felix. quod equidem paucis datum fuiſſe videmus. Ipſe enim præditus eximia vitæ integritate & intelligentia iuſtitiam præſtantiſſime coluit animo ad æquitatem magis propenſo quam ad ſummum illud ius, quod eſt vnicum tyrannidis tegumentum, in audiendo facilis in reſpōdendo gratus vbique comis atque humanus dignitati conuenientem retinens

grauitatem: quem bonis artibus informatum nec de quibuſuis rebus ſed de præclaris & magnis delibantem honores grauia dumtaxat ſtudia delectarunt; & hominem ſuis non alienis virtutibus florentem nulla vnquam inuidiæ vis nulla maleuolentiæ affectio morbusq́; corripuit: qui cũ omnibus tum maxime pauperibus Chriſti beneficentiſſimus fuit, quæ a diuina caritate proficiſcens uirtus ſolam diuinam mercedem, nullã hominum laudem ſplendoremue deſiderat. Sed, quod in Imperatore Chriſtiano plurimum habet laudis, frugalitatem modeſtiam temperantiam maxime coluit, atque imprimis religionem & pietatem, quæ fundamentum omnium virtutum eſt. qui (vt hoc vnum dicam) ſingulis diebus mane poſt ſomnum quamprimum e lecto ſurgebat Deum obſecrabat, vt omnes ſuos labores motus & conatus in ipſius honorem in Chriſtianorum commoda in animæ ſuæ incolumitatem cæleſtis gratia conferret. Quare non modo Scipioni illi Africano, qui in Capitolini Iouis quotidie ſolus adibat, cum vanam & impiam religionem coleret, verum etiam his, qui veteris teſtamenti ſacris paginis commendati ſunt, hoc magis excelluit, quod perfectione lege & documentis inſtitutus fuit. Hanc pietatem toto quidem vitæ tempore magnam, ſed maximam in extremo curriculo,

cum incitatior eſt ad metam curſus, oſtendit. Itaque in animo mihi eſt illius e vita migrationẽ non minus quam victorias explicare: qua ſola mores & vniuerſa vita decoratur. Cum in Flan dria eſſet annum agens LVI. & grauius e pedibus laboraret, ſtatuit regnorum habenas Philippo filio tradere, & Imperium Ferdinando fratri concedere, non quo ipſe genio liberius ab omni forenſi & militari ſtrepitu remotus indulgeret, ſimiliter ac fertur Diocletianus imperium depoſuiſſe, ſed quo reliquum vitæ tempus diuinis ſtudijs impenderet, vt ad omnem ſummi illius domini & rectoris vocem, ſi ex hac luce ſeu potius ſtatione migrandum eſſet, vigilans ac paratus offenderetur; ac VI. Kal. Martij *ſuo natali die poſt longam orationem, qua ex ſuo diſceſſu dolorem ſuorum lenire conabatur, cum idonea claße in Hiſpaniam nauigauit, & ad Liaredi portum eam applicuit. Vt in terram deſcendit, gratias immortali Deo panſis ad cælum manibus egit, quod incolumis in eam regionem appulſus eſſet, quam tantopere amaſſet; tum in tellurem oculos defigens eam benigniſsime tanquam parentẽ ſalutauit, addiditq; verba illa Nudus a te egreſſus ſum, nudus ad te reuertar: deinde in Valleoletum lectica delatus, & factum obuiam ſibi nepotem ſuum Carolum ad colendum pie numen diuinum, & præſtanter inſequendum maiorum*

veſtigia grauiſsimis verbis & ſententiis cohortatus eſt. Hinc in religioſorum hominum, qui Sancti Hieronymi fratres vulgo nuncupantur, ab vrbe remotas ædes cum paucis conceſſit. Vbi cum multos menſes diuinis rebus vacaſſet morbo vehementius opprimi cœpit tanti viri mortē e cœlo terris prænūtiante cometa. Ac VI. Kal. Octobris D. Matthei profeſto die confeſſionis & Euchariſtiæ diuinis ſacramentis, quemadmodū Chriſtianum decuit, ſeſe ad diſcedendū ex hac mortali in immortalem illam vitam muniuit: & cum feſto die iam plane mors inſtaret, precatus eſt eos, qui adſtabant, vt ſibi adeſsent Deum pro ſe orando contra malorum dæmonum dolos & conatus, qui hominis calcaneo potiſſime inſidiari ſolent; ipſe IESV CHRISTI *domini noſtri ſuffixi cruci imaginem ſiniſtra tenens hæc cum lacrymis verba pronuntiauit. Magnas tibi gratias habeo & ago ſanctæ Deus, quod me nationū multarum principem & Imperatorem crearis, ſed maximas, quod in ouile tuum adduxeris, atque ex huius ſeculi moleſtijs & inſanis honorum ſtudijs hoc poſtremo vitæ meæ tempore ſemoueris, quo tibi venienti paratus occurrerem. Verum oro, vt delicta mea multa & grauia tuo ſanguine deleas, quem factus homo in cruce pro humani generis redemptione, & ſalute effudiſti; ne ſi me chirographo, in quo illa ſcripta ſint.*

ante tribunal iuſtitiæ tuæ ſalutis meæ hoſtis conuincat, damnationem euitare non poſſim. neq; alia eſt ad cœlum via niſi per crucem. Nouiſſime cum dixiſſet In manus tuas domine commendo ſpiritum meum, declinans ad dextrum humerum caput extremum diem LVIII. ætatis ſuę anno placide & tranquille clauſit tanto cum animi robore & præſtantia, vt demum etiam mortem ipſam omnium terribilium rerũ terribiliſſimam deuiciſſe viſus ſit. Ex hoc genere mortis & certis quaſi animi notis admirandam eius integritatem & pietatem licet aperte perſpicere, ac ſimul pro noſtrę fidei ratione cœleſtem illi & ſempiternam gloriam augurari. Ac profectò ipſius uitam & obitum qui recto animo contemplatur, & humanis & diuinis honoribus CAROLVM V. *Imp. afficiendum iudicat. Cuius tantis uirtutibus equidem ipſe non uideo parem orationem poſſe inueniri: ſed tantum omnibus illum præferendum cenſeo, quantum dignitate prudentia uirtute fortuna antecelluit.*

IO. ANTONII VIPERANI.

IN FVNERE

CAROLI PHILIPPI HISPAN. REGIS F.

AD MAMERTINOS ORATIO.

PERLVCTVOSVM *funus, idemq; regium* MAMERTINI *facimus: in quo æque iuſtus eſt noſter dolor ac defuncti honeſta laudatio. Filius potentiſſimi regis interijt; nepos inuictiſſimi Imperatoris occubuit; lumẽ nobiliſſimorũ parentũ extinctũ eſt; ſpes unica tot regnorũ, quæ iam tũ e celo precantibus nobis affulſerat, euanuit. O uarios & incertos humani generis euẽtus? O cuiq; ſemp̃ extimeſcẽdã ĩbecillitatẽ fragilitatẽq; naturę? Ad quẽ tãtarũ rerũ, et uirtutũ et glorię ꝑtinebat hęreditas, moritur*

adoleſcens. Funus igitur omni celebratione dignũ, ſed ì obis quidem perluctuoſum. nobis dico? immo vniuerſis populis gẽtibus nationibus; quarũ incolumitas & fortunæ vnius eius, quẽ deſideramus, vita & ſalute nitebantur. Vnde mihi videor videre tanti iuuenis occaſu regna affli- ctari, oppida ſqualere, ciuitates ſenio confici; terras, maria, cælum plangore & lamentatione compleri. Video iacentes in luctu Siculos, & cum Calabris Lucanis Appulis & Samnitibus dolentes Campanos. Video triſtes Inſubres, mæſtos Burgundos, ſordidatos Flandros, mutata veſte Olandos atq; Brabantes. uideo ſqualorem Aragoniæ, mærorem Caſtellæ, fletum Gallæciæ, gemitum Cataloniæ, ſordes Nauarræ, triſtitiam Luſitaniæ. video madentes lacrymis Sardiniam, Corſicam, Baleares, & quæ noſtro mari circunfunduntur inſulæ. Indorum quoque lamentabiles voces ad noſtras vſque aures perueniunt. Quid Mamertini in hoc communi omnium mærore & luctu quid nobis faciendum putamus? quibus ſtudijs et iuſta ſoluemus, cuius maiores ſumma fide conſtantia & amore præ ceteris ſemper obſeruauimus atque dileximus? Sed priuſquam de Caroli genere expectatione & obitu, quæ laudationis munus requirere videtur, dixero, de vobis pauca dicam: quem videlicet in modum ipſi olim ad Aragoniæ regem depulſa Gallorum ty-

rannide vrbis & regni ſceptra detuleritis; atq; Aragonium inde nomen ducentis & octoginta quinque circiter abhinc annis ſingulari voluntate & intregritate colueritis: vt intelligatur quantus cultus eſſe debeat in nepotes, cum tanta fuerint erga auos officia. Neque opus eſt viciſſitudines & commutationes regni, quas vario decurſu temporum afferre ſolet humanarum rerũ conditio & natura, a primo Inſulæ ortu principijſq; repetere; vt a Græcis occupata, a Carthaginienſibus petita, a Romanis obtenta, & poſt Romanos a Gothis inuaſa, mox a Saracenis, Normandis, Sueuis, Gallis intollerabili dominatu oppreſſa fuerit; quod bonitas ſoli, & ad res quaslibet gerendas opportunitas facile incendebat in auidis animis eius potiundæ cupiditatem: verum vt iuſtis de cauſis a Gallis ad Aragoniæ regem deſciuerimus, hoc arbitror in præſentia vobis breuiter in mentem eſſe reuocandum. Bello cæſis Manfredo & Conradino fratre Siciliæ regibus ab Andegauenſium duce Carolo regis Gallorum filio, cui ob acceptas a Manfredo iniurias Vrbanus huius nominis IIII. Pontifex maximus ius in Siciliam dederat, idemque ius qui Vrbano in Põtificatu ſucceſſit, Clemẽs IIII. confirmauerat, Galli rerum in hoc regno potiti ſunt. Qui dum inſolentiores eſſe incipiunt, populorum odia in ſe acuunt: tributa imponi, no-

na uectigalia exigi, ius ſummũ exerceri placet ui ris aut ingenij leuitate ſuperbientibus, aut falſo opinantibus hominum animos ſeueritate magis regi, quam beneuolẽtia: tum in ſtupra cædes rapinas itur alijs exilio mulctatis, alijs in vincula coniectis, alijs capite damnatis: neq; mulierum pudicitiç ſatis parcitur, neque ſacris & religioni. Siquidem id genus mala, & huiuſcemodi fructus omni acerbitate acerbiores ex animi impotentia & libidine producit mortalibus & immortalibus odioſa tyrannis: hoc autem ſolatij loco eſt, quod cum omnibus inuiſa uel ipſimet Deo ſit, ad longũ tempus durare non poteſt. Tot igitur ac tantis malis Siculi oppreſſi, ac tandem reſpirare coacti uno animo facto in Gallos impetu a ceruicibus ſeruile, ac crudele iugũ deijciũt, ſeq; Petro Manfredi genero Aragoniæ clariſſimo regi tuendos regendosq; commendant: ad quẽ Siciliç regnum hæreditario quodam iure ſpectare uidebatur; quoniam ſocer nullum hæredem regni reliquerat. Carolus, qui tum aberat, audita Siculorum defectione imprimis de Mamertinorũ animis inquirit, quorum de uirtute ualde timet: quos ubi intelligit cum alijs quoque ciuitatibus conſpiraſſe, recuperandi regni ſpem abijcit. tum ira odijſq; inflammatus arma contra Meſſanam inferre decernit inducens in animũ in huius unius expugnatione uniuerſam de inſula ſitam eſſe ui-

ctoriam. Sed noſtri tanto animo uim & impetũ Gallorum excipiunt, ut uſque ad extremum periculum dimicando ſemper eos a muris munimẽtiſq; repellant. neque ſolum uiri, ſed etiam mulieres ipſe, o admirandam & ubique gentium prædicandam uirtutem, propriorum laterũ oppoſitu & corporũ furentis hoſtis gladios & tela retundunt. Dumq; illinc Gallus in Mamertinũ inſiſtit acrius, hinc Mamertinus Gallũ dijcit animoſius, Petrus inſtructa claſſe aduenire urbi auxilio nuntiatur: ad quem nuntium uehementi terrore perculſus hoſtis obſidionem diſſoluit, ac Rhegium ſeſe recipit relicta inſulæ poſſeſſione, quam decem & ſeptem modo annis tenuerat. Neque hic belli finis. Nam Mamertini, ut Petrum ſumma cum omnium alacritate & lætitia in urbem exceperunt, ac Siciliæ regem ſalutarunt, hoſtem ultro ipſi laceſſunt; ac ductis terra mariq; copijs quæcunque in Calabria, uel proximis regionibus oppida gallico præſidio tenentur, aut expugnant, aut in deditionem & fidẽ Aragoniæ uenire cogũt. Veſtra ſunt Mamertini uictoriæ, ueſtra ſũt trophęa, ueſtra tãtarũ laudũ inſignia, et sẽpiternæ monumẽta virtutis. Ob quas tot ac tãtas res præclare geſtas Aragoniæ reges Mamertinis a Rom. cõſulibus et Imp. aliјſq; regibus datas quõdã ĩmunitates et priuilegia sẽper apud oẽs uel barbaros quidẽ reges inuiolata,

vt vim ſuam haberent, quod eſſent patriæ laudis & gloriæ clariſſima & ęterna monumenta, maiores noſtri omni ope contenderunt, non modo rata eſſe voluere, ſed aliјs quoq; decretis amplificarunt. quæ non dubito quin etiam Rex Philippus ſemper integra velit, cum aliјs potentia opibus virtute pietate modeſtia innocentia religone antecellat. Nunc quo pacto ad Germaniæ principes Auſtrię familiæ hoc regnum peruenerit paucis explicandum eſt. Ferdinandus is, qui ob præſtitam & diligentiſſime ſeruatam Eccleſiæ Romanæ fidē Catholicus eſt cognominatus, fortunatiſſimus ac prudētiſſimus rex Aragoniæ ex Iſabella Caſtellæ regina Ioannē ſuſcepit & Ioannā; hæc Philippo Maximiliani Auſtriæ domini & Imp. I. filio nupſit, ille filiam, cui nomen erat Margaritha, in vxorem accepit: quo ſine hærede mortuo totius Hiſpaniæ regna, &, quæ in Hiſpaniæ fide erant, prouinciæ ad Ioannam venerunt. ea Carolum filium, qui Imperator V. fuit, hæredem inſtituit: Carolus Philippum huius, quo de loquimur, patrem. Ita ad Germanię principes Auſtriæ familiæ tot ab Hiſpanis regna tranſlata ſunt. & Caroli noſtri genus antiquiſſimum & nobiliſſimum eſſe conſtat. Nam paternum a Rodulpho Harſpurgi comite & Imperatore arceſſere poſſumus cuius familia tot in Germania barones tot comites tot Marchiones tot

duces tot reges tot Imperatores procreauit, vt eam quo alio nomine quàm cœleſtem & diuinam appellem haud certe ſciam: maternum vero duxit à grauiſsimis Luſitaniæ regibus. Nam matrē habuit nomine Mariam Ioannis II. Luſitaniæ regis Filiam. vt iam Mamertini per vos ipſi cognoſcatis quanto hic honore ex tanta parentum dignitate afficiendus ſit. Sed neque parentes hunc vnicum filium ſine magnis votis & præcationibus ſuſcepere: cuius educationem ſuperuacaneū eſt referre liberalem, & regiam; cum in eo ſolo tot regnorum opes & fortunæ ac decus imaginesq́; familiæ innixæ cohærerent. Ac quod pleriſq; vnigenis filijs contigiſſe videmus, vt in omni genere virtutum miro quodam modo excelluerint; eadem coniectura optimi quique capiebantur, vt crederent Carolum mirabilem fore ſimilemq́; prodigio. Quam coniecturam confirmabant ſimulachra virtutum, quæ in eius primo tempore ætatis cernebantur. His enim ſignis philoſophi ad interpretandum cuiuſq; naturam plurimum commouentur. Et quoniam in adoleſcente non res & voluntas, ſed expectatio laudari ſolet; cum neque virtutes ſine diuturna bonarum actionum exercitatione acquiri, neque rerum agendarum prudentia ſine longo vſu & periclitatione comparari, neque res præclaræ ſine multo tempore & animi firmitudine geri poſſūt

quam de ſe Carolus ſpem in omnium animis excitauerat, hoc dici a nobis bene poteſt. Quã probabile ſane eſt ingentem fuiſſe ob egregiam generis ac ſeminis ſtirpem, ſingulare ſpecimen virtutis, dignam puero rege diſciplinam, ſummam facultatum potentiam, incredibilem glorię cupiditatem, præclara maiorum exempla: quorũ tot habebat domi, vt vanum fuiſſet quærere externa, Nam quæ vnquam familia nouem Imperatores produxit, atq; Auſtria? Inter quos Carolus V. veluti ſol quidam elucet: qui quotquot ante ſe poſt Cæſarẽ fuerunt & animi magnitudine & virtutum præſtantia & rerum geſtarum gloria facile ſuperauit. Ac profecto Carolus noſter, niſi mors obſtitiſset, gẽtilitatem ſuam mirifice illuſtraſset: in quo virtutum imagines, quæ tanquã ſcintillulæ emicabãt, nõ vulgares erant (quãquã rex, qui omnibus viuit, oĩbus uirtutibus prædi ditus & ornatus eſſe debet) ſed iuſtitiæ, grauitatis, benignitatis, animi magnitudinis atq; pręſentiæ, quæ in rege maiorem in modum commendantur. Cuius porro dicta, & facta, e quibus harum virtutum indicia ſumi poterãt, ne longior ipſe ſim, quam ratio temporis in hac funeris maxima celebritate patiatur, explicatoribus rerum ſcribenda relinquo. Ceterum tantam dignitatis cũ liberalitatis ſpecie coniunctã grauitatẽ iuuenis tuebatur, vt cũ in ſtuporem omnes

adduceret, tum etiam ad ſtudium ſui & beneuolentiam alliceret. Iuſtitiæ vero ſemina, ſi cum ætate adoloſcere licuiſſet, vberrimos pacis & ſuauiſsimos fructus attuliſsent. Maxime autem omniũ videbatur ad arma natus & aptus: quorum ſplendore, non aliter atque apud Homerũ Achilles impenſe delectabatur; ita ut armatus vel repugnãtibus aliјs non interdiu tantũ deãbulare ſed ẽt nocte cubare & ſomnũ capere ſæpenumero voluerit, Et quoniã in tractandis armis animi præſentiã & robur ferocitas quædam iuuenũ propria comitari ſolet, interdũ habitus eſt vebementior, ac viſus ad vniuerſum terrarũ orbis imperium aſpirare. Quæ opinio magis aucta eſt ex eo, quod cum e ſcalis quadam die ludens in terram graui caſu corruiſset, ac perfracta ſumma capitis parte deſperatus eſset, tamen piorũ & ſanctorum hominum præcibus a Deo ſanitati reſtitutus nihilum priorem illam animi vim remiſiſset, verum amplius intendiſset. Quam animi vim ſeueritate aliqua temperandam putauit pater ingenio lenis & moderatus atque omnibus virtutibus inſtructus. Quam mixtam cum leui correctione obiurgationem æquiore animo, quam quiſquam ſuſpicatus eſſet, ſuſcepit filius reuerens patris, & pius; ac re declarauit quantus futurus fuiſſet, ſi illam animi elationem cum ætate

ætate doctrina rexiſſet, quod natura, non voluntate elatior foret. Verum iuuenis cum in æſtiuis caloribus immoderatius aquam bibiſſet, atq; interdiu nudis pedibus in cubiculo inambulaſſet, languere ſtomacho cœpit. Ad quam cruditatẽ vehemens febris cum horrore & æſtu acceſſit. Ita affectus non tam ad tuendam corporis quam animi valetudinem curam & diligentiam intendit: atque, vt Chriſtianum decuit, primum animi labes confeſſionis ſacramento purgauit, tum ſanctiſſimo Chriſti corpore, & Eucharistia ſe muniuit, poſtmodum ſacro oleo perungi poſtulauit, hisq; omnibus rebus, quæ de vita hominum migranti neceſſariæ ſunt, plene, & cumulate inſtrui voluit, ne accerſitus ab vniuerſorum domino & Imperatore aut ſopitus ſeruus, aut imparatus miles offenderetur. Præterea monitus & a patris in ſe caritate atq; a ſuo in patrem officio pacem & veniam a rege petit, & ſibi ignoſci rogat quæcunq; in eum imprudenter & temere deliquiſſet; oratq; vt det, ſi vocetur a Deo, cum bona ſua gratia diſcedere. Neque immemor ſuorum miniſtrorum fidelitatis & laboris, quod benigni & grati animi maximum argumentum eſt, ipſos paternæ liberalitati & munificentiæ ſummopere commendat: quibus etiam ipſe bona, quæ apud ſe habet, vaſa criſtallina argentea aurea gemmas veſtes ſupellectilem ceteraſq; res

diſper-

diſpertit. Quarum quoq; partem cum beneuolentia tenens Chriſti memoriam ſacris virginibus pauperibusq; diſtribuit. Poſtremo præſentes obteſtans vt ſe contra mali dæmonis inſidias & conatus in ſupremo vitæ diſcrimine ancipiteq; certamine votis & precibus adiuuent, ſecũque illa verba dicant, quæ IESVM CHRISTVM *dominum noſtrum e ligno crucis pendentem emiſiſſe ſcriptum eſt, quæq; Carolus auus Chriſtum imitatus pronuntiaſſe moriens ferebatur, nempe In manus tuas Domine commẽdo ſpiritum meum, vrgente malo XXIII. ætatis anno animam efflat. quæ corporis vinculis & carcere ſoluta (vt par eſt crede) ad ſuperos euolauit. Nihil enim in illo defuit, quod faceret ad conſequendam æternæ beatitudinis gloriam; nihil, quod ad modeſtiam conſtantiam religionẽ ſpectaret, deſideratum eſt quin ita ſeſe geſſit, ita cum Dei voluntate conformauit ſuam, ita fortiter & ſancte cum morte vitam commutauit, vt inſpectantes plus eius morti inuiderent, quam regiam conditionem miſerarentur. Ita mors honeſta omnem ante actam vitam, etiam ſi turpis fuerit, exornat. Hæc non deploranda, immo potius optanda mors eſt, quæ nos e tenebris in lucem, e malis ad bona, ex infelicibus ad fortunatas ſedes & piorũ regna traducit. Neque apud me quicquam valent philoſophorum diſputatio-*

nes aſſerentium in morte nullum eſſe metuendum malum: quod ſiue animus cum corpore extinguatur, ſiue poſt diſſolutionem a corpore maneat, aut nullum dolorem ſentiamus, cum ſenſus nullus ſit, aut omnium malorum expertes ſimus. Tam ne excordes fuerunt, vt cum in homine viderēt memoriam ſagacitatē celeres & mirabiles quoſdam ingenij motus, ac vim quandā comprehendentem præſentia tenentem præterita proſpicientem futura intelligentem diuina gubernantē humana a nullo alio animante participatam; non æternitatem animorum vlla cogitatione & intelligentia complecti potuerint? Quorum quidē origo ſi cœleſtis non eſſet, ſed a terrenis confecta principijs, nullum animal homine infelicius dici poſſet. Nam cætera animantia vel corijs, vel villis, vel ſpinis, vel cortice, vel pluma, vel ſquama veſtit parens ipſa natura, atq; alimenta copioſisſime illis ſubminiſtrat: homo nudus ad ploratum & laborem naſcitur, adeptus vitam rebus omnibus egentem, atque infinitis prope malis periculiſq; ſubiectam: ita vt ni me alterius æternæ vitę ſpes aleret, miſerrimum & omnium animantium infeliciſſimū haberem. ac quod illos ſolatur, nihil ſe poſt mortem ſenſuros, me maxime angeret excruciaretq;, dum cogitarem me nihil futurum, qui fuerim, conſumpto cum corpore animo & facto totius animalis interitu: aut ni

meliorem vitam ſperarem, quid me tot laboribus exercerem? tot vigilijs frangerem? tot curis euigilarem in hoc breui & exiguo vitæ curriculo tot commodis & voluptatibus orbatus? Mox ſi animus poſt mortem integer eſt, atque improbis ad cœlũ aditus perinde pateat ac probis, quis erit diuinæ iuſtitiæ locus? aut quæ laus æquiſſimi iudicis & regis eius, qui vniuerſum mundum moderatur & regit? Valeant igitur a me philoſophorum de contemnenda morte ſententiæ & orationes: qui cum diuino lumine priuati eſſent, nullo modo res diuinas intelligere poterant in perpetua ignorantiæ nocte ac cæcis nubibus tenebriſque iacentes. Vna me Chriſti doctrina ab omni errore & vanitate opinionum remouet: atque hæc non a natura innata ſed diuinitus infuſa, neq; ab homine tradita ſed a cœleſti numine expreſſa & in mentibus noſtris ſignata fides ita nos illuminat, vt aperte videamus ea, quæ nunquam acie mentis noſtræ attigißemus, & conſtãter probemus ea, quæ nulla vnquã ratione per nos ipſi nobis perſuaſißemus. Hac nos luce illuminati mortem eſſe cognoſcimus peccati pœnã non vitiũ naturæ; & humanũ genus e ſeruitute, quam diabolo peccati iure ſeruiebat, a CHRISTO IESV *proprio ſanguine redemptum, nec ſeruari quemquam poſſe, qui in hoc ſanguine baptizatus non fuerit; tum debita ſupplicia*

ſceleratos manere poſt mortem, illos vero cũ Dei filio cœleſtium bonorum hæredes fore, qui pietatem coluerint, iuſtitiam ſeruauerint, qui fortiter moderate, non auare non cupide non inique non intemperanter vixerint virtutum & ſtudiorum Chriſti imitatores. Et quo noſtrum gaudium & lætitia cumulatior ſit magisq; expleta, nouiſſimo die corpus e terra excitabitur, & candidiſſima indutum ſtola atque triumphans cum immenſa totius cæleſtis aulæ gratulatione in cœlum rapietur: vbi ſempiterno æuo fruemur. Hac ſpe, quam impij nullã habent, Chriſtiani (vt D. Paulus monet) ſeipſos in huius vitæ malis conſolari debent, non aliunde petere conſolationẽ, vel (vt verius dicam) conſolationis vmbram; quam multæ philoſophorum cateruæ cum inani quadam admiratione perſequuntur. Mors igitur eſt bonis malorum extremum, quoniam miſeriarum finem illis affert; improbis vero grauiorum malorum initium, quoniam e corpore diſſoluens ſummis illos cruciatibus & ſupplicijs tradit. Etenim animus ſi ita corporis contagione inquinatus excedit, vt ſordes nullo pacto dilui poſſint, in profunda tartarorum antra detruditur; ſin purgari poſſint, niſi prius illas cõſtituta & appoſita purgatione deterſerit, nunquam in eum locum transferetur, in quem nihil ſordidum & contaminatum admittitur, ſin nullo eſt ſcelere grauatus in

cælum ſubito conuolat totus gaudio & lætitia exultans. Quamobrem (vt vno verbo dicam, quod eſt D. Ioannis Euangeliſtæ) Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodo enim iam dicit ſpiritus, vt requieſcant a laboribus ſuis. opera enim illorum ſequuntur illos. Et non beatum potius Carolum dicemus quod omnibus præſidijs munitus, quæ ad cœleſtem illam felicitatem cōparandam pertinent, ex hac moleſta peregrinatione, & hominum flebili vita migrauerit? At multarum fortunarum & regnorum hæres ceſſit e vita. Quid? nonne erat homo natus ea lege communi, vt aliquando eſſet quoque illi moriendum? moriendum eſt autem omnibus.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumq́; turres.

Aut quanti putas hęc bona facienda, quæ apoſtolus Paulus vt ſtercora duxit, ſi cum diuinis cōferantur? Ea tu dicis bona, quæ vel in opinione multitudinis imperitæ, vel in temeritate fortunæ poſita ſunt? quæq; animi cupiditatem explere non poßunt? & amitti facile poſſunt? & maiorē amißa dolorem, quam adepta lætitiam afferunt? Plenæ ſunt tragediæ maximarum regum calamitatum, plena ſcriptorū monumenta, plenæ omnium gentium literæ & linguæ. Illa illa inquam diuina bona perficere noſtram beatitudinem ſola poßunt, vera ſolida & ſempiterna

noſtriſq; animis apta & conducentia bona: quæ nulla fortunę vis infringet, nulla vnquam temporis imminuet debilitabitue conuerſio. At mortem in ipſo ætatis flore oppetijt. nimirum eo tempore, cum a corporis facibus in nobis plures cupiditates inflammantur, cum ſenſus animi cogitationes ad omnem errorum inanitatem & ſuaues corporis commotiones facillime inflectunt, cum vitę via & nauigatio ita dubia eſt, vt diſcerni non poſſit, an ad virtutis portum applicemur, an ad voluptatis ſcopulos illidamur. Quid vero intereſt iuuenem aut ſenem mori? Deum immortalem quid eſt in terris diu? volat ætas & cum tranſierit, nulla videtur, qnia nulla eſt. Pueritiam excipit extemplo adoloſcentia, adoleſcentiam inſequitur a tergo ſenectns, ſenectuti mortem inſtare iam plane videmus: quæ nihilominus propter incertos caſus tanquam Lapithis ſaxum quotidie omnibus impendet, &, quia breuis eſt vitæ curſus, abeſſe longius non poteſt. Quin natura ipſa ſic auara eſt, vt maximo fœnori nobis vitam dediſſe videatur: quippe quam ni cito reddamus, teneamur aut oculorum, aut aurium, aut dentium, aut capitis, aut aliorum membrorum dolore aliquo vſuram eius perſoluere. Ac recte inquit D. Iob. Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miſerijs. qui tanquam flos egreditur, & conteritur, & fugit

uelut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Itaque iuuenis obijt? ergo minores moleſtias ſenſit, pauciora facinora commiſit, breuiorem de ſe rationem Deo reddidit: & quoniam pie ac religioſe obijt, compleuit (vt ſacræ literæ loquuntur) tempora multa, hoc eſt, vniuerſum vitæ curſum feliciſſime & fortunatiſſime cōfecit. Vtinam mihi præſentem Philippum alloqui liceret, quantam orationem res ipſa ſuppeditaret? & cum miſerabili aſpectu regis commouerer, maiore quadam vi ad dicendum afficerer, obteſtarer cœlum, compellarem defunctum, deprecarer ſuperos, neque locum vllum prætermitterem, vnde aliquid ad animi motum deſumerē: demum & doctiſſimorum rationibus & ſanctiſſimorum exemplis & grauiſſimorum hominum auctoritate regis animum & mentem confirmarem. Sed o te Viperanum amentem ita loqueris, quaſi is ſis, qui in conſpectum tanti regis venire audeas; aut ille tuis cohortationibus & præceptis indigeat, uir animi excelſi & roboris inuicti & ſapiens per ſe ipſe abunde. Memet igitur ad uos Mamertini recipio: quorum in celebrandis CAROLI *exequijs cum operam & pietatem laudo, tum etiam uicem doleo; quoniam ex hac uita ſublatus eſt is cuius incolumitate & ſalute uniuerſum Sici-*

liæ regnum fulciebatur. Ideo in hoc perluctuoſo & regio funere (vt in initio dixi) æque iuſtus eſt noſter dolor, ac defuncti honeſta laudatio. Equidem ne oratione mea aut mœrorem veſtrum augeam, aut illius laudes attenuem, finem dicendi faciam; meq́; vobiſcum meis ciuibus in communi luctu communem fortunam & conditionem deplorans intra huius templi parietes contineo.

IO. ANTONII VIPERANI

IN FVNERE ISABELLAE HISPAN. REGIN.

AD MAMERTINOS ORATIO.

ERGO funus regium Mamertini funere cumulatur? & ad communem dolorē dolor & ad luctū luctus adiūgitur? Quid prius? acceptam ne a rege noſtro tam grauem calamitatem doleam? an afflictam conditionem noſtrā eadem calamitate? an de ſtatu naturæ communis querar, quæ tot fortunæ telis propoſita eſt, tot morborū generibus obnoxia, vt in miſeriis pͤpetuo verſemur, & paruo aliquo valetudinis vitio facillime corrumpamur? Ita innumerabilibus malis oppleta hominum vita fertur rapidiſſimo vento, vt eius motus & curſum mecum ipſe

animo cogitans iudicare neſciam brenior ſit an amarior. Et ſapit hæc ipſa uitæ acerbitas falſa neſcio qua dulcedine condita, & ueluti Meduſæ facies in noſtrum malum intuentes nos uſque delectat. Nulla res nulla profecto eſt in hac infima mũdi ſede ſub lunari illo orbe non fragilis & caduca præter animos hominibus a Deo ingeneratos: in quibus ſignatum æterni uultus lumen, & expreſſa diuinæ mentis imago eſt. Nam ex his principijs confecta ſunt omnia, quę ſemper inter ſe diſcrepãt, ac leui diſſenſione commota ſubito ea diſſoluunt, quæ ante copulata formauerant. Hic uenti, hic nubes, hic imbres, hic pruinæ, hic niues, hic grandines coguntur. hic ſentiuntur tonitrua hic metuuntur fulmina, hic cæleſtes ardores & ignes formidantur. hic tempeſtatibus procellis et tenebris, & aer, & aqua, & terra magno cũ mortalium pallore, & terrore inhorreſcit. hic morbi nos cõficiunt, hic formidines angunt, hic ærumnæ premunt. hic, ne memorem uolubilitatẽ fortunæ ſpes hominum & cogitationes mirum in modum eludentis, mors omnium maxime terribilis lõge lateque dominatur comminuens diſpergensq; in quæ pedem impingit. Quin ſi qua eſt in uita iucunditas, ea & faſtidium cito affert, quoniam illico ſatietate animum explet; & reconditos aculeos diſcedens relinquit, quoniam uana & mendax eſt: ut plus diſpliceat abiens,

quam ueniens ante nobis arriſerat. Ac præclare poëtæ ſapientes humanæ uitæ pictores effinxere Deas quaſdam inter ſe diuerſi ingenij & natura, quas uerbis Grecis Litas, & Atas appellarunt: illas quidem, quę nobis bona apportant, conſeneſcentes & claudas; iſtas uero, quæ res incommodas afferunt, pubeſcentes atq; pinnigeras: quod nimirum bona ſerius, mala ocyus mortalibus adueniant. Quæ malorum auctores Deæ ſerpentum inſtar omnes mundi regiones & angulos tanta cum ui peruaſere, ut ab earum ſibilo & ueneno intactum. Sol neque oriens neque occidens in hunc uſque diem uiderit mortalium neminem. Quam rem heu nimium ueram eſſe quotidianæ uitæ exemplis docemur. Nam rege Philippo quis eſt in terris aut genere clarior? aut potẽtia maior? aut uirtute præſtantior? atq; is quam breui temporis ſpacio duas acerbiſſimas calamitates accepit; quæ nulla ui, nulla arte, nullis uotis potuerunt a ſe ſuiſq; regnis depelli? Amiſit primo unicũ filium tot regnorum hæredẽ, decus familiæ, lumen generis, auorũ imaginem; deinde trium fere menſium interuallo uenuſtiſſimam adeo & honeſtiſſimam & fideliſſimam coniugem uitæ ſociam connubijq́ue participem amiſit. At quo tempore? quo prægnans erat, non ſatis longe a partu. Vnde regem noſtrũ orbatum filio, nudatum uxore dum mæren-

ſtem & gementem intueor, ingente commiſeratione permoueor; ſimulq; conditionem noſtram deploro, dum rerum momenta perpendens animus videt quot quantiq; poſſint ex iſta calamitate redundare in nos noſtroſq; dolores. Itaque rerum temporumq; conditio hinc me quaſi manu ducit ad diſſerendum paucis de rerump. ſtatu: vt cognoſcamus quantum vita & ſalus noſtri regis nobis cordi eſſe debeat; pariter quoque ſentiemus quam omnibus grauem, quamque miſerabilem caſum lugeamus. Regnum ceteris formis rerump. & dignitate, & diuturnitate præſtare vel ex hoc maxime docemur, quod æternã omnium humanarum diuinarumq; rerum adminiſtrationem imitetur: in qua ab vna perfecta et principali cauſa omnia tanquam a capite deriuãtur, & ab vno primo ſummoq; motore cuncta diſtincte & ordinate diſponuntur. Multorum quoque regnorũ incolumitas, quæ ceteris rebuſp. labefactatis deletiſq; ſuperfuere, huius politiæ firmitatem comprobat, in qua vnius auctoritate res vniuerſæ geruntur. quandoquidem difficilius eſt plures viros bonos prudentes & iuſtos reperiri, quam unum; & multorum diuerſa ſtudia & ſententiæ grauius reip. ſtatum perturbant; ut rerum omnium gubernatio ad vnum poſtremo principem uenire ab ipſa ciuium inteſtina diſſenſione cogatur; ad unum uidelicet principium ordinem

rerum ſemper referente natura. Verum hoc dolendum, quod cum in unius uita tot populorum fortunæ & ſalus conſiſtat, non ſit is aut uita, aut prolis ſucceſſione immortalis: quæ ſimilitudine morum tum regiam dignitatem magnifice, tum populorum incolumitatem bene & conſtanter tueatur. Nec me latet fuiſſe quondam tempus, quo populus ipſe in demortui regis locum creabat unum ex ciuibus, quem ab intelligentia & bonitate commendatum præ ceteris uideret. quē morem a Romanis, cum primum eorum ciuitas a regibus adminiſtrabatur, obſeruatum accepimus. Sed cum maximi tumultus grauiſſimæq; contentiones hac ex re ſemper orirētur unoquoque regia dignitate præ alijs dignum ſe putante, uel ambiente poteſtatem pro humano ingenio, quod ſibi ipſi mirifice blanditur, & appetens eſt dominationis, docuit uſus rerū optimus uitæ magiſter ſatius eſſe regni quaſi quaſdam habenas defuncto rege eius filio tradi, quam in eas cupiditatū contentiones remp. adduci, quæ ciuitates funditus euertunt. quandoquidem & rex ipſe perpetuitatis ſpe quadam allectus ad remp. diligentius ueluti ad rem propriam incumberet, & ad regni gubernacula tractanda is eßet maxime habilis & aptus, quem & ſumma indoles, & regia inſtitutio, & paternæ uirtutis æmulatio ad regēdarum ciuitatum gloriam informaret. Quod quam recte factū ſit declarant perturbationes,

quę eorum regum mortem inſequutæ ſunt, qui ſine liberis e vita diſceſſerunt. Quid loquar de Grecorum imperio per Alexandrum illum magnum parto, et in omnes ferme terras propagato, vt eo ſine hærede mortuo maxima cum omnium pernicie diuulſum & diſſipatum fuerit? de Sicilia loquar, quæ poſt regiam prolem extinctam quantas calamitates & miſerias hauſerit, malorũ ipſa monumenta teſtantur. Quamobrem morte ſublatis vnico regis filio & regina, ſi rerũ noſtrarum ſtatu acie mentis prudenter cõtemplaremur, cum permulta mala ſuſpicaremur, quæ inde nobis euenire poſſent, continuis præcibus & obſecrationibus Deum immortalem pręcaremur, vt regem Philipppum quam diutiſſime nobis incolumen ſeruaret. Verũ magna pars hominum, quæ ſolo ſenſu more beſtiarum ducitur non modo inſipiens verum etiã male ſana, vt uenientia mala minus præuidet, ſic præſentibus angitur grauius: quia nec prudente cogitatione in aduerſis animum ſuſtentare, nec ſolari benefactorum cõſcientia poteſt. at vir ſapiens inſtantia cernit, & præterita memoria recolit, ac futura ſagaci odoratur intelligentia, nec malorũ aduentu frangitur, quæ longe ante perſpexit: quæ quidẽ uenientia mala cum declinare conſilio & præcauere nõ poteſt, cæleſti numini auertenda committit. Equidem ipſe vires animi dum in noſtrarum rerũ contemplationem colligo, totus ab ingẽte malorũ

metu ſuſpendeor, quæ non modo nobis, ſed vniuerſæ reip. Chriſtianæ accidere poſſent, ſi quid his temporibus aduerſi noſtro regi contingeret: quo magis numen diuinũ ſupplex adoro, vt a noſtris regionibus omne malum in turcas hęreticosq; cõuertat. Et quid aliud eſt queſo rex bonus, quã aut pater aut paſtor bonus? qui populos tanquã liberos, & oues a Deo tutelæ ſuæ commiſſos amantiſſime ſtudioſiſſimeq; gubernat? Etenim poteſtas in alios homini a nullo alio tribui potuit, quam a Deo; a quo quæ ſunt (vt Apoſtoli uerbis utar) ordinata ſunt, quo rerum omnium conſtitutio & rectus ordo conſeruetur. Quanta igitur obſeruãtia decet nos eum colere, quẽ ſummus ille mundi opifex & rector Deus nobis regem conſtituit? aut quanta beneuolẽtia eum cõplecti, a quo tanquam a parẽte & cuſtode ſingulari charitate ac ſolicitudine regimur? Ac profecto ſi gentes vllę nos maxime Siculi regem noſtrum Philippũ veluti numen diuinũ colere & reuereri debemus nõ modo pro eius auctoritate integritate moderatione iuſtitia, verum etiam quod neſcio a quo alio rege defendi poſſemus ab imminente atrociſſimo & potentiſſimo hoſte: cuius crudelitas iam olim noſtro ſanguine expleri deſiderat, quæ tantum aliorum cruorem exorbuit. At cuipiam fortaſſe uideor nimiũ a propoſita laudatione uagari; ſed hæc eo ſpectat oratio ut quãta oĩbus populis, qui Philippi ditioni parẽt iactura ĩ Reginę

morte facta ſit, clarius intelligatur. Et quanquã de Dei uoluntate homini quamtimide loquendum eſt, tamen in populis tot ſcelera & flagitia fiunt, atq; ætas hęc noſtra ſane ferrea in tãtis vitæ ſordibus iacet tum opinionum inanitate imbuta, tũ conſuetudinũ prauitate infecta, ut a diuina ira quiduis timendũ merito ſit. An quod his tẽporibus, quibus reſp. chriſtiana ad paucos (me miſerũ) iã redacta hĩc ab ĩmanibus chriſtiani nominis hoſtibus infeſtatur, hinc a prauiſſimis hęreticis diripitur, regis noſtri, cuius uirtuti hæc ipſa chriſtiana reſp. nititur, primũ unicus filius, tũ uxor pręgnans obierit, non oĩa ſuſpicére aduerſa nos cõueniũt? Et ni Deus regis Philippi uitã perquãdiu cuſtodiat. ſentio quid loquar, & magnã inde malorũ erũpentiũ cateruã inſpicio. Sed aliud quoq; periculũ non tantũ nobis, ſed omnibus quoq; populis Chriſtianis ex reginę morte grauiſſime timendũ uideo. Scio in laudationibus hunc ordinẽ ſolere a pleriſq; teneri, ut primũ defuncti uitã & mores multis laudibus ornẽt; tũ de morte aliqua diſſerãt quibus auditorũ animos, ſi quid eos forte metus mortis perculerit, conſolentur atq; cõfirmẽt. At mihi ſatis magna gloria & prædicatione reginã uideor efferre, cũ eius uitæ tantũ deſideriũ in bonis & prudentibus uiris relictum eſſe oſtendo, ut par nulla unquã mater filijs ſuis decedens e uita reliquerit. Sunt quidẽ illa in muliere pṛedicãda ſanguis regius, pulchritudo eximia, honeſtas ſingularis

gularis, fides rara, artes ingenuæ, virtutes egregię. Quæ omnia in Iſabella ſumma fuere. Nam quis antiquitatem? quis nobilitatē? quis potentiā Gallorū ignorat? quibus cū (ſi vetera repetere velimus, Romani illi totius orbis terrarum quondam domini non pro Imperio & dignitate quem admodū cum aliјs gētibus, ſed pro vita & ſalute frequentiſſime dimicarūt. quorū reges primi omniū chriſtianā religionem ſuſcepere, habitiq; & cognominati chriſtianiſſimi, quod eſſent Rom. Ecclеſ. ſummorūq; pontificū contra omnē ſceleratorum hominū vim & audaciā acerrimi defenſores. ad quos acceptorūbeneficiorū gratia chriſtianū imperiū auctoritate apoſtol. a Grecis a Rom. Eccleſ. deſciſcētibus trāſlatum fuit. quod aliquot annis tenuere, donec ad Germanos poſcentibus ita rerū vicibus trāſiit. Ex his regibus orta Iſabella regi omniū potētiſſimo & clariſſimo nuptui data eſt filio maximi inuictiſſimi & ſemp auguſti Imperatoris: cuius familia nouē Imp. in hūc vſq; diem produxit: cuiuſq; in ditione non modo ſunt Hiſpanię & viris, & opibus & bellicarū rerū & doctrinarū ſtudiјs florentiſſimæ prouinciæ, & maxima Italiæ pars, & fere oēs inſulæ adiacentes Italiæ, & Flādria, et Olandia, & Burgundia, & Barbātia, ſed Indorū quoq; plurimę ac maximæ regiones, ad quas ne Roman. quidē nomen vnquā antea penetrauerat. Itaq; Gallorū regis filia Hiſpaniarum potentiſſ. regi deſponſata maximam

dignitatẽ matrimonij iure cõſequta eſt. Iã venuſtas, & forma cuiuſpiã Deæ aut Nymphę, quales ſunt apud poëtas, in Iſabella imaginẽ referens tanquã diuinæ pulchritudinis et gratiæ ſplendor quidam in humano corpore elucens vi ſua oẽs in ſui amorẽ, et admirationem rapiebat. At vero artes ingenue, virtutesq; ſingulares fides, et honeſtas vera ne dicã ſola mulieris bona maiore laude & celebratione digna ſunt: quibus inſtructa, & ornata mortalibus immortalibusq; placebat. Sũt hæc quidẽ ampliſſimis verbis extollẽda: quod aũt potentiſſ reges armis, & caſtris ſemp antea diſſidentes cõnubij ſorte cõiunxerit, & affinitate inter ſe & cõcordia copulauerit, quibus verbis efferemus? Repetite p Deũ immortalẽ prçteritorũ temporũ memoriã, & recordationem, quibus nõ modo Italia, ſed vniuerſus fere orbis terrarũ ex duorũ potentiſſ. regũ Hiſpaniarũ & Galliæ diſſenſionibus ita bellis armisq; exarſit, vt pleręq; regiones nondũ martis dãna reſarcire, et accepta vulnera ſanare potuerint: ipſeq; mars ita varius & anceps fuit nũc a victoribus ad victos, rurſumq; a uictis ad uictores abiẽs rediensq;, vt exitũ bellorũ nullis præliorũ victorijs fuiſſet vnquã terminaturus, niſi facta et cõnubio firmata pax tantũ incendiũ reſtinxiſſet. Vidi ipſe cũ ad bonarũ literarũ mercaturã in celeberrimas Italiæ vrbes adoleſcens profectus fui, ſic illas inter ſe factionibus diuiſas alijs Gallorum alijs Hiſpanorũ partes

ſequentibus, vt nõ minores inter Italos diſcordiæ & ſeditiones tũ eſſe viderentur, quã Guelforũ & Gibellinorũ tempore fuiſſe memorabãtur. Quot, ne Senarũ obſidionem referã, quæ nõ ſolũ Hetruriç ciuitates ſed exteras quoq; nationes in calamitatũ ſocietatem attraxit, quot in quã in Gallia Ciſalpina fuerũt exciſæ vrbes, deleta oppida, exuſta tecta duobus regijs exercitibus hinc inde pugnãtibus? Quin ipſa flumina, ita me Deus amet, mortaliũ cruore & cadaueribus non ſemel accreuere. Quarũ rerũ cũ multæ aliæ vrbes tum præcipue Mediolanũ & Papia teſtes ſunt; ad quã Frãciſcus rex Gallorũ victus & captus fuit. Quid et trãſalpina bella non modo a Carolo Imp. cũ Frãciſco, ſed etiam a Philippo rege noſtro cum Hẽrico Frãciſci filio incredibili felicitate et celeritate geſta cõmemorem? Quæ etſi proſpere nobis ceſſerunt, tamen quia nullũ bellum inter Chriſtianos ſuſceptum nõ grauiter ſocietatem chriſtianorũ offendit eadem fide eodem baptiſmate & ſpiritu cõiunctã, viri boni, & amantes pacis, quod cũ ea IESV CHRISTI *Dei & domini noſtri religio inter ſui fideles ſanctius teneatur, ſemper omnes inter chriſtianos præliorũ cauſas et exitus deteſtãtur. His tot tantiſq; malis cũ nulla hominis ſapiẽtia reperire exitum poſſet, ipſe Deus vel quod ſatis pœnarũ dediſſemus, vel quod piorũ & ſanctorum hominũ precibus victus fuiſſet, animos regũ in quibus inſigniore quodã modo, quã in ceterorũ*

mentibus dominatur, quod poteſtate ſibi proximi ſint, ad pacem, & concordiã ex tantis bellis et diſſidijs reuocauit, &, quo magis inter illos pacem firmaret, affinitatis vinculo conſtrinxit. Qua in re Philippus aperte oſtendit nõ odio nõ cupidita te ſed tuendi iuris ſui cauſa bella geßiſſe, cũ ad pa cem paciſq; conditiones facile ac libenter deſcenderit. Num ne igitur præteritorũ malorũ recordatione intelligitis a Deo ſingulari quodã beneficio Iſabellã ad pacem inter Chriſtianorũ potentiſſimos reges faciendã ex tot millibus vnã delectã fuiſſe? intelligetis quoq; mortem eius omnibus eſſe deplorandã, et funus maximis lamentationibus & fletibus proſequendũ. Nã de morte quid diſputem? quę homini chriſtiano debet optabilior eſſe quã uita? Vita enim innumeris malis circunfuſa perenni ſolicitudine vexatur: in qua dum ſu mus, peregrinamur a Domino aſpera & difficili via, & tanquã in patente ventis, & feruẽte æſtu pelago frequentes procellas tempeſtateſq; ſubimus. Mors & nauigantibus eſt portus, & currentibus meta, & laborantibus quies: per quã e fortunæ temeritate & imperio ſubtracti, atq; a grauiſſimis tyrannis dolore & metu liberati in quietas ſedes & beata regna traducimur. Tunc ſane cum mors e corporis ergaſtulo nos eduxerit, & ad cœleſtem ſocietatem tranſmiſerit, tunc eorum operũ, quæ in æternã gloriã ſeminauimus, copioſiſſimos fructus ſummo cũ gaudio metemus, et ab

omni dolorum formidine & voluptatũ cupiditate expediti perpetua, & trãquilliſſima pace perfruemur. Ideo ſapientes viri & diuina p̃ Chriſtũ luce illuſtrati, qui nõ in caducis huius vitæ bonis ſed in cœleſtis gloriæ adeptione beatã vitã poſuere, ſemp̃ ex corporeis vinculis diſſolui cõcupiſcũt vt animi ſui perfectionẽ & felicitatem cõſequantur. Quod ſi finẽ per ſeipſum expetimus, cur mortem odimus, quæ niſi adueniat, ſummũ bonum haberi nõ poteſt? Et vitã, in qua tot peccatorũ illecebræ ſunt, tãto ſtudio cõplectimur ſicut inſipientes homines, qui mentem a ſenſibus nunquã reuocãt, neq; res diuinas vlla cogitatione cõprehendũt? Sane quę nos a malis non a bonis abducit, potius expetenda quã timenda mors eſt. In hac porro vita oĩa mala inſunt; neq; vllũ eſt malum, quod cuiuis homini euenire nõ poſſit: qua quidem cogitatione ſuperborũ hominũ omnis reprimẽda eſt arrogantia: atq; hæc, quæ falſo nomine appellãtur bona, incerta & caduca ſunt nec quicquã ad noſtrũ animũ pertinentia, vt inſani ſit ſeq; ipsũ ignorãtis hominis in his rebus felicitatem ſtatuere, quę beatã uitã reddere nõ ualent. At uero ipſe Chriſti doctrina eruditus & præceptis informatus nõ ut in incertũ curro, ſed ad cõprehendendum a Deo propoſitũ brauium. ad quod ipſa me Dei gratia ſtantem mouit, & currentẽ modo præſens adiutat. Quamobrem defunctæ reginæ cõditio nobis deplorãda nõ eſt, cũ per ſacrũ baptiſ-

ma lucis filia effecta & in Eccleſia Chriſti bonis actionibus exercita ſupremũ vitæ diem ſanctiſſime confecerit dans rebus & uerbis habitantis in ſe Spiritus ſancti nõ dubia argumenta, nunc deflens ante actæ uitæ peccata & eorũ ueniã a Deo & miſericordiã per eius filium redemptorem noſtrum expoſcens, nunc patrocinio Sãctorum, qui cœleſti gloria digni habiti ſunt, ac potiſſimũ benignitati & clementia Chriſti per quem facta ſunt ſecula, quiq; uniuerſorũ hæres, & dominus a Deo patre cõſtitutus eſt, decedentem ex hac luce animã humili prece & obſecratione cõmendans. Cuius imaginem affixã cruci moriens tã arcte cõplexa cũ lacrymis tenebat, ut cũ eo uelle modis oĩbus cõiugi pia corporis ſignificatione mõſtraret. Ac profecto Iſabellæ ſi poteſtas nunc ulla daretur in terras e cœlo dilabendi, procul illa dubio recuſaret. Quod aũt in ætatis flore & grauida ex mortaliũ uita migrauerit, nihil ſane illi graue eſt, quę uitã nõ amiſit, ſed cum mortali immortalem cõmutauit. Eos iſta mouent, qui ſenſu res nõ rõne diiudicãt. Magis noſtra deflenda cõditio, quod diſcedens nullũ hęredem regni nobis reliquerit; atq; obierit ea, quæ pacem inter potentiſſimos reges Chriſtianæ reip. principes uelut inter extrema medium huius cõiux illius filia ſummo amore & beneuolẽtia cõciliabat. Ipſi certe regi tãta eſt dolendi cauſa, ut niſi armis prudentiæ cõtra omnes dolorum cogitationes pectus obarmet, uerendum

ne inſidente penitus in animo mœrore miſerabili ter conficiatur. Vnde mihi uideor uidere cōiugem in ſomnis maritum his uerbis conſolari. Chare cō iux ne te crucia nec mei, nec regnorum cauſa nā me Deus habet in cęlitum numero bonis omnibus affluentiū: quibus cum cœleſti nectare & ambroſia nutrior, ipſa inquā diuinæ bonitatis cōtemplatione, nō meo quidē merito, ſed eius gratia, cuius fidem in terris cōſtante & firmo animo ſeruaui. Nulla igitur mei cura te cruciet, quæ nunc uerā & beatā uitā uiuo. Tua vero regna Deus aſpicit ſibi omniū maxime accepta, quod nulla ſint prauitate religionis & hæreſi tincta, quæ Chriſtianas ciuitates paucis annis incredibiliter infecit. pro quorum incolumitate ac præſertim tua Deū ego ſemper oro, qui mihi chariſſimus fuiſti, mecū aliquando futurus, cū uniuerſum uitæ curſum confeceris. His atq; huiuſmodi uerbis doloris acerbitatem ex intimis mariti mētibus amantiſſima cō iux euellere conatur. Sed uos cōpello diuinæ prouidētiæ adminiſtri, ac regnis & ciuitatibus præſidentes angeli, teq; in primis, cuius cuſtodiæ regis Philippi vita cōmiſſa eſt, ut diuinitus aſpirantes animum & mentem eius cœleſti conſolatione ſuſtētetis; a cuius uita pendet noſtra omnium uita, præſertim his temporibus cum a turcis & hæreticis uniuerſæ res ſacræ & profanæ immaniſsime & crudelisſime uexantur. Quin te obſecro et obteſtor Deus princpes mundi ſeculorum index.

uitæ necisq; autor, vt, ſi non omnes ad vnum exoſus es, & eſt tibi cura Chriſtianæ reip. quando reginā ad te euocaſti, regis ſalutem in coēm Chriſtianorum pacem & incolumitatem in terris quā longiſſimo tempore tuearis. Hoc deſideriū obitus reginę cum in animis bonorum excitaſſe uidetur, qui tranquillū otium & tutā regnorum pacem & quietem ceteris rebus anteponunt, tum præcipue in nobis Mamertini debet accendere, quibus mala, quæ a barbaro nec longinquo ſatis hoſte impendent, niſi unius regis Philippi ui & uirtute propulſari propelliq; non poſſunt.

F I N I S.

Donatus Turrius Vicarius, &
F. Nicolaus Alexius Commiß. S. Inquiſitionis,
Imprimendas conceſſerunt.

ERRATA.

Folio. 6. a: aliquin alioquin. b. infeoſiſſimos infenſißimos. recuperatum, recuperaturum. Fol. 8. a. viſtioris. victoriæ. Fol. 11. b. bellij. belli. Fol. 14. a. effectos. affectos. Fol. 15. a. horis. oris. Fol. 17. b. perfeſte. perfectæ. Fol. 18. b. pdæceptis. præceptis. Fol. 19. b. chriſtianæ. chriſtiane. Fol. 21. a. cæperit. ceperit. Fol. 23 a. quod perfectione. quo perfectiori. Fol. 24. a. ſanctæ. ſancte. Fol. 25. a. hamani. humani. Fo. 27. b. illæ ille. Fol. 29. a. præcibus. precibus.

IO.AN. BAPTISTAE CAMPEGIO EPISCOPO, BARTH. RICCIVS.

S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GRAVE eſt Campegi, cum quis alteri debet, quo debitum ſoluat, is parem nõ habet facultatem: multo uero etiam grauius, cum nullo prorſus modo eſt perſoluendo. ſiquidem reddere beneficium multo magis tenemur, quã dare. des enim, nec ne, in tua ſitum eſt uoluntate: qui uerò accepe[illegible] ſi eius probe memor ſit, indignus eſt (ut omittam, quod multis etiam peius obeſſe non poſſet,)

in quem iterum conferatur. qua debitione, atque remunerandi ratione ego tibi iampridem ualde obſtrictus sũ. audio enim de multis, iisq; doctiſſ. uiris, in primis autem de Robortellio uiro in optimis ſtudiis omnium Iudicio præſtantiſſimo, te mea ſcripta & cum ſumma animi delectatione legere, & minime ieiune, ac frigide commẽdare: ſeparatim autẽ, (præter uniuerſam ſcribendi facilitatẽ,) id illis tribuere, ut quæ ætatis noſtræ ſunt Latine dicenda, quæ propè innumerabilia ſunt, hæc à me ita ad ueterum rationem dici, ut parum ab ipſis Latinis diſtare uideantur. Quod quoniam ab eo uiro, quem

optima cum rerum cognitione, tũ etiam ſummo iudicio præditum eſſe, neq; id, niſi ex animi integritate dicere, ſcirem, in me proficiſceretur, admodũ, (ut uere fatear) lætabar. rebar enim fortaſſe id ita eſſe, atque quod à me nõ faciebam, aliquid eſſe me, ut tuo prudẽtiſſ. atque fideliſſ. iudicio credere͂, facile adducebar. Pro qua mea sũma cum uoluptate, tum etiam minime uulgari laude, tantum tibi debeo, ut, cum multa etiam retulero, ſemper tamen multo plura, quæ referre debeã, relinquantur. neque enim cum idem de tua ingenua educatione, de tuis optimis ſtudijs, de tua in omnes homi-

humanitate , de tua in egenos, quod tuæ propriũ eſt perſonæ, charitate, atque de cæteris tuis egregijs uirtutibus ea dixero , atque prædicaro, quæ omnibus conſtant, atque pleno ore commendantur: fortaſſe alijs minime ingratus uideri potero, qui in laudando mutuo tecum faciam, mihi certe non ſatisfecero . Quare ut ad hæc de meo quoque, ſiquid poſſem, adderem, hanc puſillam, quã tibi refer rẽ gratiã, quãdo quod maxime cũ piebam, maiorem, atque tuo meri to dignum nequiui , ex meis ſtudiis decerpſi: id autem eſt, ut quos quatuor mearum epiſtolarum libros ſuperioribus octo addere ;

atq; edere ſtatui, eos tibi gratiſſimo animo inſcriberem, atque dicarem. Niſi tamen in hac quoque parua referenda gratia, magis nouum munus à te accipere, quam ueteri gratiam referre, uideri poſſim. quãdo iſta tui nominis inſcriptione multo plus dignitatis meis ſcriptis, quam tibi ex eorum dedicatione relatæ gratiæ euenire poſſit: ſpero tamẽ cum, quæ tua ſumma bonitas eſt, tum etiam bonorũ uirorum iudicium, fore, ut magis quo animo hoc fiat, quam quanti res ſit, ſpectes. Cætera quidem, quæ in re uerſantur, aut materia, aut artificium, haud illa quidem contemnenda, atque in paruo pre

tio ſunt habenda. ſed ea tamen ut externa ponderantur. animus uero is eſt, quo totius muneris nobilitas illuſtratur. Sed utcunque ſit, aut accepti beneficij gratia, aut eius ipſius gratiæ condupli cata ratio, in eam ego partem accipio, qua quid in optimam acciperem. neque enim cui plurimum debeam, multo etiam magis debere me, unquã pigebit. Habe igitur Præſ. ampliſſ. quatuor mearum epiſtolarum libros, hoc eſt eorum ſcriptorum, quibus te maxime delectari dicis, ſub tuo nomine editos, ſi non relatæ tui ueteris officij, ſaltem acceptæ nouæ gratiæ loco, meq́ꝫ, de quo antea tua ſponte

tam honorifice loquebaris, nunc tui ob ſingulares tuas uirtutes ſtudioſiſſimum, in tuorum numero aliquo habe. Vale. XV. Kal. Ian. M D L X I I.

INDEX EORVM QVIBVS SCRIPTAE SVNT EPISTOLAE.

A

Andreæ Cornelio Card.	73
Angel. Angelinio	78:
Ant. Ferrario	85
Aonio Paleario	67
Alber. Lollio	69
Aloyſio Durellio	97
Ant. Ferrario	99

B

Benedicto Manzolio	33:
Benintendio	40
Bergontio	40
Barth. Bertonio	44
Barth. Caualcantio	49
Bapt. Ramnuſio	76
Bapt. Zauariſio	85
Bapt. Bouio	85:
Barth. Salio	86
Baſilio Milanio	68

C

Carolo Auſtrio. ph. F.	5

Camillo Paleotio 5
Camillo filio 24

D

Dario Bocarinio 68
Duob. Philipp. 79

F

Franc. Bolognetio 15
Fabricio Reſecio 33
Franciſco Cornelio M. Ant. F. 45
Franciſco Rachio 82
Franciſco Robortellio 70

G

Georg. Cornelio 73

H

Io. Bap. Campegio 3
Herc. Maluetio 5
Herc. Ateſtio Taſſoniano Alf. F. 47
Hieron. Rauanio 83
Honorio Stellæ 75
Hippol. Zaffaleonio 100

I

Ioan. Antonio Locatellio. 12
Iacob. Inuitio 32

Iacob. Rufinio 42
Ioan. Rondinellio 45
Ioan. Celaſalio 47
Ioan. Martino Peregrinio 78
Ioan. Antonio Rondinellio 83
Iac. Sorbio 84
Ioan. Vitrianio. 101

L

Laur. Gamba. 25
Lucio Paganucio 41
Laur. Frizzolio 63:
Laur. Ochio 67:
Lazaro Sabellio 70
Lanfranco Gypſio 74
Laur. Frizzolio 101

M

M. Tullio Beroio 16
M. Ant. Cornelio 75
M. Antonio Gambaronio 99

N

Nicol. Zanellio 80

O

Octauio Abioſio 86

Petro Mercantio 31:
Pompilio Amaſeio 46:
Philipp. Carolo Gislerio 74
Paul. Ramnuſio
Philipp. Braſchio 79:

S

Syluio Bertolaio 15
Sebaſtia. Regulo 17
Seraph. Iaccbeio 32:
Sperono Speronio 42
Syluio Antouianio 50
Sulpitio Tombeſio 71

T

Thomæ Cuſpio 3
Thomæ Muſtio
Tonamanio 66
Tyreſio 101

V

Vincentio Cartario 71

BARTH. RICCII LVGIEN. EPISTOLARVM

LIBER PRIMVS.

CAROLO AVSTRIO PHIL. F. HISPANIAE PRINCIPI. BAR. RICCIVS. S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DVO *ſunt Carole, Pr. Ampliſsime quibus homo erga hominem maximè afficitur; tacita naturæ vis alterum. Virtutis nobilitas alterum. Multi enim ſunt, qui naturali quadam propenſione, primo aſpectu ad alij bene cupiendum facilè adducuntur; conrà verò non pauciores, qui, ut quoſdam ſemel viderint, eos libenti animo videre non poſſint. Virtutis verò quanta vis ſit ad eos, in quibus eſt, amandos, qui non norit, indignus eſt, qui ab ullo ametur. Horum ego utroque ita in Carolum Cæſarem Auum tuum viuentem afficiebar, ut*

paucis concederem, qui id ardentius facerent. Quarè etiam, quoties ijs ſermonibus, qui de eius egregijs factis inter homines (ut fit) haberentur, aut caſu intereſſem, aut etiam dedita opera eos inſtituiſſem, huius partes ſemper enixe tuebar, in quo conflictu, ut ille ſuos, ego meos aduerſarios ſemper frangebam. Nunc verò cum is fęlici ter deceſſiſſet, meum eſſe duxi, ut in mea erga tantum Imperatorem ſententia permanens, quē viuum tantum amaſſem, eius quoque mortui memoriam piè colerem; hoc eſt ſi in eius funere res ab eo pręclare geſtas, commemorarem; quandò laudarem dicere, hominis eſſet inſolētiſſimi. itaq; feci. Sed quid ego me feciſſe dico? qui pro earum multitudine vix milleſimam partem attigiſſe videor? quis enim tantus ſtylus? quod tantum eloquentię flumen? quę tanta Orationis vbertas, atq; dicendi copia eſt, quę Caroli Cęſaris facta illuſtria vel longis voluminibus enarrare poſſet? Sed quicquid id fuit, quod ego attigi, cum id in hominū manus exire cuperem, atque eorum in primis, qui eadem animi affectione in illum, & fuiſſent uiuum, & eſſent etiam mortuum; tu mihi unus omnium uiſu es Carole Pr. cui non ſolum hanc meam laudationem legendam, mitterem, ſed eam etiam hoc ſuo in uulgum publico exitu, reuerenter dicarem. nemo enim (uno Philippo Patre tuo ſemper excepto) qui, quàm ipſe facis, illi propius

pius accedat. neque eſt, qui laudes alicuius libentius audiat, quàm qui cum earum maxima pars, ut huius tecum ſit, communicetur, prę ſertim iſta ętate, quę omnibus optimis opinionibus imbuenda eſt. etſi me non prę terit, quàm tua quoque ſponte, ad omnem ſummę glorię amplitudinẽ erectus ſis: cum tamen in maiorum tuorum gloriam aut legendo, aut audiendo intueberis, non dubito quin multò ardentius ad eam conſequendam, inciteris. At Ricci (quiſpiam hic) tu quidem in Cęſare Carolo excolendo ualde commendandus es, qui enim ſolem lucere negant, eius lumen, qui uideant prorſus indigni ſunt, neque fortaſſe improbandus, ſi cum multis alijs tuum iſtũ in eum animum hoc quoque modo palàm teſtari uoluiſti, in eo uerò quod cum Illuſtriß. Principe homuntius, atque ſenio confectus, neque illi quicquam ante, uel de nomine cognitus, tam familiariter agas, uide ne parum conſiderati ſit uiri. At ego, cum eius Regijs uirtutibus, tum etiam illa natura, quam omni humanitate, comitate, facilitate conditam eſſe audio, fretus, tantum abeſt ut in hac mea animi erga illum ingenua ſignificatione quicquam honeſtę accuſationis, pertimeſcã, ut etiam ſperem, huic meę Orationi non parum ponderis, atque ornamenti acceſſurum, cum ille illam cum ſui ſimilib. principib. Pr. cõmunicarit. hoc illi. Nunc ad te redeo. ſi quid eſt omninò Caro-

le, quod mihi in hac re dolendum ſit, illud qi udem eſt, quod Orationis granditate (ut par fuit) Cæſaris Caroli Aui tui rerum geſtarum magnitudinem æquare non potuerim. equidem omne ſtudiũ atque omnem operam adhibui, quantaque in me fuit (ſi modò ulla eſt) dicendi facultate, atque virtute contendi, ut id aſſequcrer. ſed quis tantum eius tubę ſonitum? quis Armorum terrorẽ? quis militarium tormentorum tonitrua? quis Prçliorum honorificos concurſus? quis fluctuum ingentes fragores? quis Bellorum ipſorum fulmina? quis reliquorum factorum ſummam eius animi altitudinem dicendo æqueret? immò vero quis tantus Orator reperiri poſſet, cuius oratio vel ad horum quoduis non langueſceret? non concideret? non deficeret? quicque cum omnia omni orationis ornatu collaudaſſet; frigidè tamen, ieiunè atque languidè non landaſſet? Ergo ego in hoc quoque parum conſultè feci, qui id auſus ſim, quod aſſequi minimè quirem. Sanè quidem, ſed quid facerem? meo illi deſiderio vim facere non potui: vicit me animi mei in illum naturalis affectio; ut quicquid poſſem, quandò quod vellem, nõ liceret, non omitterem: quanquàm in eo ſocios habere præſtantiſſ. viros, qui hoc quoque auſi ſunt complures, multò leuius erratum meum facere poteſt. Neque poſtremò cuiquàm vetitum eſt, quia ſolem interius intueri nõ poſſit, ne eius quoq;

lumen longè lateque fuſum intueatur: ut ego qui orationis meę aciem ad eius virtutis ſplendorem præfractam eſſe ſentirem, hæc tamen, quę tibi de illo mitto, ex eius aliquo numine meo ſtylo perſequi non diffiderem. Habe igitur Pr. Ampliſſ. quæ de Caroli Cæſaris Aui tui eximia laude ſtrictim à nobis percurſa ſunt. cætera à cæteris (ſi tamen hoc ipſi illa aſſequi poterunt) & maiori dicendi copia pertractata, & omnibus oratorijs luminibus ornata, atque diſtincta interea expectans. Vale.

B. R. IO. BAP. CAMPEGIO. S. D.

VTINAM *ita eſſet, quemadmodum Robortellius tuus de noſtris ſcriptis tibi retulit. omnes enim, qui hodie ſcribendo nomen aliquod ſibi confecerunt, facilè ſuperaſſem. ſed id tum cum amicitiæ noſtræ, tùm optimæ naturæ ſuæ magis, quàm quòd ea eius generis ſint, quæ à tanto uiro tantoperè laudentur, dediſſe excuſo. is enim à me tuo nomine mearum epiſtolarum, quæ iſtic ſub prelo ſunt ad octauum librum, uolumen petijt, idq; te ualde cupere ſignificans: cui ego ſtatim reſcripſi, atque unà ſimul meo impreßori ſcripſi, ut earum eam copiam, quam uelles, tibi faceret. equidem, ut opus abſolutum eßet expectabam, po-*

le, quod mihi in hac re dolendum ſit, illud quidem eſt, quod Orationis granditate (ut par fuit) Cæſaris Caroli Aui tui rerum geſtarum magnitudinem æquare non potuerim. equidem omne ſtudiũ atque omnem operam adhibui, quantaque in me fuit (ſi modò ulla eſt) dicendi facultate, atque virtute contendi, ut id aſſequerer. ſed quis tantum eius tubæ ſonitum? quis Armorum terrorẽ? quis militarium tormentorum tonitrua? quis Prœliorum honorificos concurſus? quis fluctuum ingentes fragores? quis Bellorum ipſorum fulmina? quis reliquorum factorum ſummam eius animi altitudinem dicendo æqueret? immò vero quis tantus Orator reperiri poſſet, cuius oratio vel ad horum quoduis non langueſceret? non concideret? non deficeret? quicque cum omnia omni orationis ornatu collaudaſſet; frigidè tamen, ieiunè atque languidè non landaſſet? Ergo ego in hoc quoque parum conſultè feci, qui id auſus ſim, quod aſſequi minimè quirem. Sanè quidem, ſed quid facerem? meo illi deſiderio vim facere non potui: vicit me animi mei in illum naturalis affectio; ut quicquid poſſem, quandò quod vellem, nõ liceret, non omitterem: quanquàm in eo ſocios habere præſtantiſſ. viros, qui hoc quoque auſi ſunt complures, multò leuius erratum meum facere poteſt. Neque poſtremò cuiquàm vetitum eſt, quia ſolem interius intueri nõ poſſit, ne eius quoq;

lumen

lumen longè latéque fuſum intueatur: ut ego qui orationis meæ aciem ad eius virtutis ſplendorem præfractam eſſe ſentirem, hæc tamen, quæ tibi de illo mitto, ex eius aliquo numine meo ſtylo perſequi non diffiderem. Habe igitur Pr. Ampliſſ. quæ de Caroli Cæſaris Aui tui eximia laude ſtrictim à nobis percurſa ſunt. cætera à cæteris (ſi tamen hoc ipſi illa aſſequi poterunt) & maiori dicendi copia pertractata, & omnibus oratorijs luminibus ornata, atque diſtincta interea expectans. Vale.

B. R. IO. BAP. CAMPEGIO. S. D.

VTINAM *ita eſſet, quemadmodum Robortellius tuus de noſtris ſcriptis tibi retulit. omnes enim, qui hodie ſcribendo nomen aliquod ſibi confecerunt, facilè ſuperaſſem. ſed id tum cum amicitiæ noſtræ, tùm optimæ naturæ ſuæ magis, quàm quòd ea eius generis ſint, quæ à tanto uiro tantoperè laudentur, dediſſe excuſo. is enim à me tuo nomine mearum epiſtolarum, quæ iſtic ſub prelo ſunt ad octauum librum, uolumen petijt, idq; te ualde cupere ſignificans: cui ego ſtatim reſcripſi, atque unà ſimul meo impreßori ſcripſi, ut earum eam copiam, quam uelles, tibi faceret. equidem, ut opus abſolutum eßet expectabam, po-*

ſteà, ſi in primis, quibus illud miſiſſem, non eſſes, certè in poſtremis non fuiſſes: tametſi ego mea ſcripta magis à mediocriter inſtructis, quàm à tui ſimilibus elegantiſſ. uiris legi malim. noui enim tuum iudicium uel ab eo tempore, quo te Bonamicus noſter domi tuæ cum fratre tuo maiore natu in hiſce noſtris ſtudijs inſtitueret. cùm ro poſteà Venetijs, multò magis. Patauij uerò, vbi cum ætate, tùm etiàm optimis ſtudijs auctior factus es, quid omnibus Bonamicus dè tuo ingenio referret, optimè recordor. Sed tua tamen humanitate fretus id libenter feci, qui dè nullo, niſi modeſtè loqueris, & ſi quid in eorum ſcriptis deſideras, id tibi ſoli deſideras. Habe igitur volumē, quod petis, integrum, cū opus erit abſolutum, minime deſideraturus. Vale.

B. R. THOM. CVSPIO XL VIRO. S. D.

QVAM ego in amicis meis cōmendandis ſim diligens; quaque id meliore de nota facere ſoleam, planè ſcis. in hoc uno tamen Fuſchinio tibi comendando, cum omnia fecero, quibus tibi commendatisſimus ſit, eum uulgariter commendaſſè uidebor, tot enim, ac tantæ necesſitudinis cauſæ inter nos intercedunt, ut niſi, quod petimus, nobis obtinebis, mini-

me mihi ſim ſatisfacturus. meus, primum, ciuis eſt. hoc eſt, cuius gloria mecum quoque cum cæteris ciuibus communicatur. Ciuitatis vero coniunctionem vicinia, atque eadem ſacra coniunctio rem efficit. huc accedit, quòd ego non ſolum eius ſuauiſſ. conſuetudine, ſed in iure etiã optimo iam multos annos vſus ſum conſilio: Verum ſingularis eius integritas, quæ multis, ac magnis in rebus ſæpius perſpecta eſt, cur ego hunc tanti faciã, maxima eſt cauſa. Hic ab amicis ſuis, ſe eorũ opera in ijs præſtantiſſ. iuris conſultis, qui vobis multi propoſiti ſunt, ex quibus poſtea diligatis, quos cauſis publicis dijudicandis præficiatis, eſſe adnumeratum, atque in eorum albo deſcriptum, fit certior. quorum cum amiciſſimi erga ſe animi operam, tum veſtram etiam tantam dignitatem omnium ſibi gratiſſimam accidiſſe, ut demonſtraret, omnibus eorum, atque cæterorum amicorum commendationibus in eam incumbit: meque per vnum in primis, quem apud te, atque aliquot etiam tuos collegas plurimum valere iam pridem nouit. hunc igitur tibi nunc, paulopoſt cũ alijs hanc eandem illi operam daturus: non quantum eius virtus poſtulat, quæ omnibus per ſe cõmendatiſſima eſſe debet; ſed quantum mutua, atque ſumma inter nos beneuolentia me facere cogit, commendo. Habebis virum in cauſis dijudicãdis exercitatiſſ. qui primum, idque admodum adoleſcens

leſcens Ferrariæ quæſtionum, poſtea Regij Lepidi prouocationum iudex fuit: quibus abſolutis ſub Strotio Gubernatore totum illud tempus iudicauit. Ferrariam rediens prouocationi iterum præficitur. Carpenſem poſtea, deinde Regienſem præturam geßit, nunc vero totius Ferrarienſis Ditionis cæterorum iudicum (quem ſindicatum dicunt) animaduerſionem, cum publica feudi interpretatione, feliciter pergit exercere. Sed (quod familiam ducit) æqueß: Iud: quemque nullis reus aut precibus, aut premijs à recto iudicio ſit, vel quantum pilus eſt, deducturus. quibus bonis etſi ſcio iam tibi, ut tui ſimillimum, hunc iam valde commendatum eſſe, tamen, ut aliquid ipſe quoque addam de meo. præter hoc de eo verißimum teſtimonium, te rogo, ut animum tuum, quem video virtute ipſa in hunc ſatis incitatum, mea quoque cauſa etiam incitatius urgeas, atque ita cum Palleotio, atque Bolognetio agas, ut noſter omnino in ijs decernatur. nullam enim in hac commendatione excuſationem accipio. Pro quo tuo iſto ſummo beneficio, promitto tibi, ciues tuos nunquã ſatis dignas gratias tibi acturos, atque etiam habituros. me vero, ſi quid tibi amplius debere poſſum, id aut hac una ratione, aut nulla alia debiturum. Vale.

MAGIS

B. R. HERC. MALVETIO XL. VIRO. S. D.

AGIS tua ſingulari humanitate, M quàm noſtra ulla veteri conſuetudine, qui vix ſemel, atque iterum ad Biuilaquios tuos collocuti ſumus, hoc, quod facio, adducor. vt faciam. ſatis enim mihi arbitror futurum, ſi quod à te contendam, honeſtum, atque pro honeſto viro me petere, tibi comprobaro. Ego Malueti ualde laboro, vt Fuſchinius vir optimis moribus præditus, neque inter iuris conſultos poſtremus; vnus ex ijs quibus vos (vt dicitis) rotam conficitis, decernatur. ſcio cumplures vobis opt. viros, iuris autem conſultos peritiſſimos eſſe propoſitos. ſed noſter quoque cum ijs facile numerari poteſt. Quare ego hunc tibi, multiſq; alijs, vt ſuos alij alijs, commendo: in qua noſtra petitione optimos ſuffragatores habemus, gratioſos viros, collegas tuos; verũ ſi tu te quaſi inſtitutę petitioni ducem, atq; gubernatorem adhibebis: non dubito quin primi renuntiemur. ſcio quantum in iſto XL. *virum collegio valeas. ac quanta auctoritate in vniuerſa ſis ciuitate. Vnum mihi tantù in hac cõmendatione mea deeſſe videtur. vt antiquior, atque frequentior vſus inter nos intercedat. Verum cum illum cum vniuerſa*

uerſa mea Ricciorum familia, quæ tota tibi addicta eſt, habeas, mecum quoque vt habeas, oportet. tametſi non hoc tantum noſtra, aut cuiuſquã gratia peto quàm, Fuſchinij ipſius ſummæ integritate, atque in iudicando veteri uſu, ac ſciẽtia fretus poſtulo. quod ſi (ut ſpero) impetro, promitto tibi, fidemque meam obſtringo, te nulli unquàm meliori, atque prudentiori viro, atque etiã magis grato operam, ac ſtudium tuum præſtitiſſe, breui eſſe cogiturum. me vero tibi ita obſtrictũ rum, ut qui tibi omnibus officijs obligati ſint, nihil ijs maximæ debitionis ſim conceſſurus. Vale.

B. R. CAMILL. PALEOTIO XL. VIRO. S. D.

CUM ego Bononiam multis de cauſis proxime uemiſſem. nihil eorum, quæ domi conſtitueram, iſtic agenda, rectè mihi proceſſit; omnia enim, aut aduerſa accidere, aut ſaltẽ vt volebam, non facile euenere. vt etiã in leuioribus negotijs fortuna hominem ludibrio habere nõ negligat. in ijs autem id quoque mihi aduerſum accidit, quòd te in vrbe non offendi, neque illos etiam quinquaginta dies, quibus ego iſtic manſi, tu unquàm interea peregre domum rediſti. tecũ enim mirum in modum eſſe cupiebam, nam cum abhinc quadraginta annos, plus minus, Camilli

Paleotij

Paleotij gẽtilis tui præſtantiſsimi uiri, cuius nomen tu fortaſſe refers, duo præclara poemata, utraque heroico uerſu ſcripta, legiſſem, alterum quod ipſe in Virgiliana (ut dicunt) prælectione, alterum Ouidiana ex publico loco recitaſſet, ita ea mihi tum argumento, tum ſcriptionis dignitate probata ſunt, ut auide poſtea ſemper expectarim, ut hæc aliquando tandem alicunde in uulgus exirent. Cuius mei deſiderij tamen nunquàm compos ſum factus. Quinetiam interdum ſubueritus ſum, ne aut aliquo malo fato perierint, aut, quòd ab improbis fieri ſolet, aliquis ſibi ea interuerterit, de quibus, quid factum eſſet, de te facile ſcire poſſe ſperabam. Quòd meum deſiderium M. quoque Tullio Beroio optimo ciui tuo expoſui. quinetiam Virgilianæ argumentum illi totum explicaui. hoc autem eius erat initium.

„ Iuerat Imperio magni genitoris opacam
„ Vmbrarum in ſedem, & latè ſqualẽtia regna
Interpres diuum. hæc pauca mihi tãtum hæſere.

Quæ carmina, atque etiam reliqua (non enim arbitror tantum uirum hæc ſola ſcripſiſſe) ſi apud te ſunt, miror, quòd non uideas, quàm diu in hominum ignoratione iaceant, tam diu cum illis & eius, & tua, & uniuerſæ Paleotiæ gentis ingentem gloriam iacere. Si uero penès quempiam tuorum conduntur, tua eadem cura eſſe debuit, ut inde quoque in vulgus eruerentur

tur. Quod meum deſiderium, vel etiam ſi ma uis, conſilium, ſi tibi nimis familiare videbitur. Tuam humanitatem, quã ab omnibus prædicari audiebam, quaque ego fretus ita tecum egi, excuſabis; aut ſi quicquam omnino in me accuſare uoles, meã ſummam erga eius viri vel manes ipſos beneuolentiam accuſabis. qui hac mea cupiditate nihil aliud, quàm eius gloriã, quid enim memoriam dicam? ex inferis in hac lucem eruendã eſſe cupio. Vale, ac cuſpio collegę tuo meo nomine plurimam ſalutem dicito. Ferrariæ XVI. cal. Decemb. MDLVII.

B. R. CAMIL. PALEOTIO. S D.

C*ONSTITVERAM, quod nunc per literas tecũ ago, breui me corã eſſe facturũ. ſed cum meum iſtuc aduentũ aliud ex alio incommodum differre pergeret, ne diu tacendo meam gratiſsimam naturam offenderem, Tuam autem ſummam humanitatem contemnere viderer: malui hoc modo neutri deeſſe, quàm diutius expectare, dum facultas daretur, ut corã utrique ſatisfacerem. quæ tamen ſi detur, nõ eam non auide arripiam: vt hoc meum officium multo etiam pluribus præſens renouem. Ego te Paleoti iam in eo amicorum numero, qui mecum omnibus neceſſitudinis cauſis coniuncti ſunt, faci*

le

le numerare poſſum, quando meis veteribus amicis nouus amicus neque beneuelentię, neque officij quicquàm concedis. Dij boni quid amicius, aut magis beneuole à quoquam eorũ, qui mihi in intimis ſunt. quàm quod tu proxime facis, reſcribi poſſet? nam ut omittam, quòd nullum mei laudandi finem facis, quæ laus, quoniam à laudatiſſimo viro proficiſcitur, mihi ut gratiſſima accidat, neceſſe eſt; atque unum illud tantum recẽſeam, quòd me tam familiariter accuſas, qui vel te abſente, quibus multis diebus Bononiæ fui, tuorum hoſpitio non ſim peramice uſus. quam tuam liberaliſsimam accuſationem, etſi mihi iniquam, qui te ac tuos tantum propter ſingulares virtutes veſtras amarim, preterea vero nihil, neque uſus, neque verborũ inter nos interceſsiſſet, quoniam tamen ſummi amoris, atque humanitatis erga me tuę eſt plena, non poſſum, non valde probare, atque vehementer amare. Quem meum errorẽ (ita enim meam modeſtiam tua liberalitate appellas) vt dedita opera corrigam, non ſolum mones, ſed etiam rogas. quòd ego me facturum tibi recipio. cum ut ad animi coniunctionem hoſpitij quoque neceſſitudo accedat. tum etiam, ne ingratus videar, ſi tuã tantam liberalitatem toto non accipiam animo. non enim illum minus grate facere arbitror, qui accepti beneficij nullã gratiam refert, quàm qui benigne oblatam non

accipit

accipit. Quid vero, quòd in Camilli patrui tui verſibus tuo quoque officio meam expectationem ſuperaſti? nam cum ego illos tibi ad gentis tuæ gloriam edendos tantum hortarer, tu mihi eos deſcribendos curaſti: ut quoad eorum exemplum cũ cæteris publicè communicaretur, hoc ego meo interea priuato perfruerer. neque totum ſolum, de quibus, ego tecum agebam, exemplum mihi miſiſti, ſed ad maiorem tuæ erga me beneuolentiæ ſignificationem, Epigrammata ijs quoque addidiſti. Quòd vero me rogas, ut quid ego de omnibus ſentiam, id ad te libere perſcribam, atque etiam, vbi videbitur, emendem, atq; corrigã, reſpondeo. Hoc quoque magis tuam ſingularem humanitatem præſeferre, quàm ad meam eius rei ſcientiã pertinere. Equidem Paleoti tantum in eo ſcriptorum genere profeci, quantum qui ea cæteris explicant, non autem quantum, qui natura ad illud exercendum, & nati, & facti ſunt. quos nihil latere poteſt, in quo aut quid vicij, aut virtutis inſit. Si quid ego tamen in docẽdo ex eius (vt fit) artificio, atque virtute detexi, id, ut in iſto tuo deſiderio depromam, omnem operam dabo. ſed non eo, vt in illis quicquam corrigam, verũ, ut tuæ honeſtiſſime petitioni obſequi voluiſſe, videri poſſim. Primum igitur in eo genere verſuum, quæ Epigrammata appellantur. quibus cũ de amoribus ſuis, tum etiam amicorum varie ludit,

dit, pictorem rudem imitari videtur, qui hominis formam, quam aut ex aliquo optimo ſigno, aut mente ſua etiam meliori ſibi conceperit, primis ſuis penicillis in ſuis tabulis effingere conatur, quod quidem ſuis optime diductis lineis facile facere poterit. ſed ſuis certis coloribus ad virum eam nondum exprimere didicerit. ita iſte tuus in primis ſuis carminibus faciendis ludere videtur. qui nondum polite, atque ſuis luminibus carmen ſuum illuſtrabat. vt vero multas tabellas experiẽdo confecit, ac naturę longum uſum adiunxit, optimus omnium rerum imitator eſt factus. vt in heroico, in quo omnes colores, omnem artem. omnem dignitatem. omnes ſplendores conſumit. Tria ſunt in quibus omnis ſcriptor verſatur. Inuentio. inuentorum apta diſpoſitio. elocutio. hęc omnia in illo ſplendide florent. mirus enim ſi quis alius, eſt in inueniẽdo. in diſpoſitione, caue quicquam eo compoſitius videas, aut in quo planius perpetuum filum ſeruetur. in eius viro dictione omnia veterum lumina elucent, omnes virtutes extant. Grandiorem poeticam orationem efficit Epitetum, aut proprium, aut aliunde quaſi mutuo ſumptum. Tranſlatio, imago, comparatio in magnis poœte ornamentis ponuntur. breuitas cum res poſtulat auditorem recreat, cum etiam ſuo loco copia ſpatiatur, eius animum mirum in modum oblectat. rem ita enarrare, vt ante ocu-

los

los geri videatur, ſumma ſcriptoris laus eſt. in decoro verò ſeruando, hoc eſt à natura nuſquam diſcedere. videre quid deceat, quid non. idq; optimè præſtare, non ſolũ in pręſtantiorib. ſcriptis, ſed etiam in ſcena maximam laudem tulit. Vnus poſtremo proprius eſt poetæ numerus, quo uno cũ auditoris aures maxime permulcentur, tum ſe poetę laus conciniſſime extollit. quæ omnia ita nõſter (quid enim ſemper tuus dicam?) ſua certa poſſidet, ut ex eorum virtute perfectam ſibi compoſitionem conficiat. Recordor me iam ab hinc multos annos Andreæ Nauagerio homini doctiſſ. ſed in primis ſummo iudicio, huius heroicum Virgilianum, legiſſe. is adoleſcentem iſtum admirabatur. mireque commendabat. Sed illum terris Dij inuidere, itaque nobis illum nimis cito ſibi eripuere: nam ſi huic in tot bonis unus vitæ curſus longior, qui multis beſtijs in hominum forma datur, conceſſus fuiſſet. veteres Virgilios ætati noſtrę repreſentare potuiſſet. Sed ita eſt. mortem optimum quenque celerius rapere, ignauiores contemnere. atque, ut in ſua ignorantia longiſſime dormiant, ſinere. Sed ut ad me tandem redeam. Ego mi Paleoti pro iſto tuo, quo me patrio proſequeris amore, ſumma te obſeruantia colam. in qua, ut te cum cæteris tui ſimilib. ſuperem, omnia conaturũ polliceor. pro tuis autem verſib. opus meum tibi de imitatione mitto. in eo quidem

inferior, quòd tui verſus mihi ſoli ſunt miſsi, meum autem opus tibi cum cæteris omnibus iam pridem communicatum habes. Vale.

B. R. CAM. PALEOTIO XL. VIRO S. D.

QVONIAM *virtus ipſa, in quibus perſpecta ſit, eos ſua ſponte valde commendatos efficit. neque ijs præterea quicquam alienum opus eſt ad omnia impetranda. vt qui omnibus per ſe digniſſimi ſint. ego vt amici mei in omnibus rebus integritatem, in iudicando vero ſummam ſcientiam cum ſumma æquitate coniunctam oſtendero, ſatis huic meę commendationi fecero. Io: Bapt. Fuſchinius vir ſumma integritate preditus, atque in vtroque iure optime inſtitutus eſt: quique domi, foriſque multos magiſtratus integerrime geſſit. in quibus Carpenſis, atq; Regienſis præturæ ęquitiſſime ſunt abſolutę. nunc vero Ferrariæ non ſolum de cęteris iudicib. (quem Sindicatum dicunt) æque iudicare, ac Feudum publice interpretari pergit: ſed cum, quæ multa huic quotidie priuata compromiſſa, tũ etiam quæ à Prin. ipſo minime vulgares cauſæ de feruntur, pari æquitate componit, atque iudicat. in vna vero vera religione (quod maxime ad rem facit,) colenda; vir eſt probatiſs. ſed ne*

te pluribus teneam, ac rem vno verbo tibi abſoluam, antiquæ vir eſt & fidei, & bonitatis. Hęc ſunt, quę ego tibi de Fuſchinij virtute cum polliċtor, tum etiam fideliter ſum prȩſtaturus. Hic in eorum prȩſtantiſs. virorum numero conſcriptus eſt. ex quo ipſe cum cȩteris XL. *viris collegis tuis rotæ (quod dicunt) iudicum numerum eſtis poſtea confecturi. Ego Paleoti ſi mea cauſa à te peterem, vt in hac petitione illi adeſſes, continuo per Camilli patrui tui clariſſimi viri, cuius tu & nomen, & prudentiam refers, ſanctiſs. cineres te obteſtarer. deinde per noſtram. quam ſcis pauloante incȩptam eſſe, amicitiam omnibus precibus orarem, vt eam hoc vno officio, quaſi optimo fundamento communires, atque fulcires. adderem ſingularem humanitatem tuam, qua me domi tuę accepiſti, ac propè hoſpitij religionem interponerem. poſtremo, quę in me non leuia officia contuliſti, vt ea in Fuſchinij petitione cumulares, te etiam atque etiam rogarem. Sed quoniam vna virtus agitur, eaque per ſe ſatis commendata eſt, ijs prȩſertim, qui ea quoque maxime ſint prȩditi: vnum ego tantum agam. vt, ſi quid in iſta tua ſuffragatione, aut animo tuo, aut Fuſchinij virtuti, aut diligentioris ſtudij, aut ardentioris curę, adiungi poteſt: id mea ſumma in te obſeruantia, tuaque erga me ſingulari beniuolentia adiungatur. Quod, etſi id totum cum eius*

integritati

integritati, tum tuę virtuti dabis, polliceor tamen, me iſto tuo officio ita tibi in perpetuum eſſe debiturum, vt ſi id mihi ſoli dediſſes. neq; alia cauſa, quàm mea ſolius, id mihi ſi conceßiſſes. De Fuſchinio vero nihil amplius dicam, quàm, quod ante dixi, eum virum eſſe, qui viuendi rationes omnes intra rationis gygrū facile contineat. quique ijs in primis, quos de ſe optime meritos eſſe ſciat, optime gratus eſſe didicerit. Vale.

B. R. CAMIL. PALEOTIO S. D.

TV ſolus Paleoti ex multis tuis collegis, quibus eadem de reſcripſi, reliquus es, qui mihi nihil reſcripſiſti. credo te mecum familiarius agere, ut petitioni meæ magis officio tuo, quàm tuis literis reſpondeas. nollem tamen (vt fieri ſolet) eas literas Tabellarij, quæ maxima eſt, negligentia perijſſe. quare magis hac ratione has breuiſſimas ad te exaraui, quàm ut te ad illas reſcribendum prouocarem. ſatis mihi eſt ſcire, te illas accepiſſe. nam ſi ſecus accidiſſet, aut eaſdem tibi remittendas curarem, aut alijs eandem commendationem renouarem. Vale.

B. R. FRAN. BOLOGNETIO XL. VIRO S. D.

ETSI facile ſciebam vnis meis literis ad Cuſpium noſtrum tibi, & Paleotio ſatisfieri poſſe, qui ita inter vos, & animo. & ſententia conuenitis, ut nihil ſit, quod alius velit, alijs non probet: neque vos ita ambitioſos eſſe, vt niſi vobis quoque ſcripſiſſem, petitioni meæ aliquo modo nocuiſſem: malui tamen utriq; ſeparatim ſuam quoque epiſtolam exarare, idq; magis, quia ſcirem uos mea ſcripta libenter legere, quàm quod ego, vel omnibus precibus à vobis contenderim, ut mihi, quàm Cuſpij vel unico verbo facilius daretis. Tecum igitur nunc Bologneti, paulo poſt cum Paleotio agam. Audiò non multum abeſſe, cum noui iudices, quibus publicas cauſas iudicandas committitis, vobis deligendi ſunt, multoſque, eoſque prçſtantiſſimos viros hanc iudicationem eſſe competituros. in quibus etiam meus Fuſchinius adnumeratur. Hic (ne te fruſtra multis morer. qui reliqua à Cuſpio habebis) Is vir eſt: quem ſi ipſi pernouiſſetis, abſentem, atq; cętera omnia agentem omnib. ſententijs decerneretis. Tamen quia vetus eſt mos, vt etiã ſummi viri magiſtratus quodam modo ambiant, eius amicis, in quibus, ego haud poſtremus ſum,

videndum eſt. ne quid ei diſimus. Quare ego te etiam, atque etiam rogo, vt una cum Cuſpio, atq; Paleotio ita petitionem noſtram ſuſcipias, ut eã nobis, ut volumus, abſolutam tradas. id quòd facillimum ſpero futurum. quis enim Trib. honeſtiſsimis viris. (vt de reliquis Trib. Maluetio, Giſlerio, atque Elifantutio nihil dicam) in honeſtiſsima petitione ſuum ſuffragium non dabit? pro quo iſto tuo ſummo officio Fuſchinium ipſum tibi in perpetuum, obligaueris me vero, quem iam pridem obligatiſs. habes. etiam ſtrictius deuinxeris. Vale.

B. R. FRAN. BOLOGNETIO XL. VIRO S. D.

VT mihi de Corradij noſtri obitu nuntiatum eſt, multis, iiſque honeſtiſs. de cauſis grauiter, moleſteque tuli, primum, quod quaſi alterum filium, qui me parentem pie appellabat, amiſi. deinde quod in eo magnam iacturã res literaria feciſſe videtur: qui et in elegãter ſcribendo, & ſuperiore de loco erudite docendo, eam quotidie nouis ſcriptis, atque praeceptis cumulatiorem reddebat. Poſtremo, quod veſtra Bononienſis Academia tãto viro orbata ſit: cui ut parem reperiat, fortaſſe non facile fiet: nam ad eas literas, quas profitebatur, eius ge-

neris mores accedebant, qui in paucioribus probantur: equidem modeſtiorem, humaniorem, ſanctiorem virum non cognoui, qui nihilo magis mouebatur aduerſis, quàm etiam lætis, ac ſecundis rebus faceret: in quibus ne vultum quidem mutabat: eius autem ſermo, congreſſus, hoſpitii fuere, quæ eius generis moribus optime reſponderent. Sed quid ego eius virtutes tibi cõmemoro? qui eum optime noras, & amaras plurimum? quin quod reſtat, magis curandum eſt. Ego Bologneti certo ſcio iſtum xl. virum ordinem alium Corradio breui ſubſtituturum, quoniam vero mihi in tanto amico adempto prouidere non poſſum, neque ab eo quicquam noſtris ſtudijs amplius ſperandum eſt, ac tantum, quod vobis damnum ex eius obitu accidit, id optime vnde præſtari poteſt: ſi alium in eius locum delegeritis, in quo eius deſiderio mederi poſſem, par eſſe duxi, ſi mihi non deeſſem. Equidem non dubito, quin multi, iíque doctiſſimi viri ſenatui veſtro propoſiti ſint, ex quibus is decernatur, qui Corradio ſufficiatur: verum ſi inter eos unus Aonius Palearius, qui Mediolanenſibus hanc eandem publicam docendi operam dat, nominetur, ego fidem meam tibi do, fore, ut quicquid de eo decreueritis, modò, quòd cum veſtra, atque eius dignitate fiat, id eũ eſſe optime comprobaturum. Commendarem ego tibi amicum meum quàm diligentiſsime, roga-

remque, quantum in te eſſet, efficeres, ut in demortui amici loco vetus amicus meus decerneretur: probaremque iſto loco, ſi quiſquàm alius, digniſſimum eſſe: niſi ſcirem te quoque eum valde amare, omnibus vero ex doctiſſ. atque elegantiſſ. eius ſcriptis conſtaret, vnum Aonium eſſe, qui cum ſoluta, tum etiam aſtrictiori oratione (quod paucis ad hanc ætatem datum eſt) æque perelegánter, atque luminoſe & ſcribat, & canat: tamen ſi quid amori erga illum tuo adiungi poteſt, id ut mea cauſa adiungatur, te etiam, atq; etiã rogo: ut quaſi hæc mea epiſtola magis currenti ſit calcar, quàm amici commendatio. Maluetio, Ghiſlerio, Cuſpio, Fantutio xl. viris hanc meam epiſtolam legendam mittes, atq; eos poſtea meo nomine rogabis, ut in hac cauſa mihi tecum adſint, ac qua ratione tecum ago, eadem me ſecum egiſſe exiſtiment: quod ſi à vobis impetro, etiam ſi omnem gratiam vobis referam, ſemper tamen apud me ea erit integra. Vale. Ferr. No. Sep. M D LVI.

B. R. IO. ANT. LOCATELLIO. S. D.

CVM Syluius Antonianius in humanioribus ſtudijs cum eruditione, tum etiam iudicio ſit adoleſcens, qui in ijs æquales paucos pares, in illo vero neminem habeat ſupe

riorem, ſi illum non plurimum diligam, literis iniuriam facere videar. Verùm ſi horum nihil unqnàm attigiſſet, neque literam nouiſſet, quoniàm tamen ijs moribus, atque ea vitæ, integritate, quæ ab improbis etiam hominibus ſuapte virtute laudatur, prædıtus eſt, facere non poſſem, quin eum chariſs. haberem, atque eius cauſa omnia vellem. nunc verò cum hęc omnia ſimul unà in eo excellant, atq; ità, ut utrũ ars, undè ſtudia, & literę emanarunt, an rectè agendi à natura inſtituta ratio antecellat, ſatis conſtitui non poſsit: quandò æquè utrunque in eo ad ſuam ſummam peruenit: ut quem ſtudia prudentiſs. reddant. vitę verò ſanctior ratio in probatiſs. viris collocet, impius ſim, ſi huic primas, & ſecũdas, & tertias in amore non defferam. Sed his etiam accedit, quòd propter communia ſtudia, atque ſummã meam erga illum beneuolentiam, in amore mecum mutuum facit. propter autem ætatem, me eundem, ut grandiorem natu, ſummo etiam honore proſequitur: qua eius in me ingenũa reuerentia non iàm illum cęteris in amore pręferre debeo: ſed eum, quantum me ipſum, amare cogor. Video te expectare, quorſum tàm vehemens epiſtolæ initium, atque multiplex amici commendatio ſpectet. Scito igitur, nouo iſto bello exorto docendi publicam diſciplinam apud nos totam ſublatam eſſe: malo enim hoc fa-

to; non ſolum arma nobis in manus ſumpta ſunt, ſed libri etiam ex manib. exciderunt: quo uno publico incōmodo multis magnum detrimentū, Syluio verò maxima calamitas iniecit, cui Madius Philoſophus, à quo paternè in Philoſophiæ præceptis inſtituebatur, ereptus eſt: qui cum cæteris, qui in noſtro Gymnaſio publicè docebant, dimiſſus eſt. ſed aliorum melior conditio, qui ad alienos doctores, aut Patauium, aut Bononiam, aut quòuis aliò ſe conferre potuere. huic uni omnes hę vię pręcluſæ fuere, neque hoc ex ulla rei tenuitate, quem amici nunquàm deſeruiſſent, ſed ne ab Herc. Principe ſuo vel tantùm pedem diſcederet. Sed Deus Opt. Max. qui ſuis optimè conſulit, te quaſi dedita opera per hoc tempus nobiſcum eſſe voluit: à quò id ſi non publici, ſaltem priuati muneris habere poſſet. audio enim te tua ſponte illi obtuliſſe, quicquid, quod multū eſt, in te eius facultatis ineſt, id omne cum illo ad conſtitutam horam domi tuę fideliter eſſe communicaturnm. quod ut ego intellexi, manus in cęlum ſuſtuli. Deo gratias egi, qui ſuos prorſus non deſereret. tibi vero, quem iàm multò antè à meo Braſchio magis amare non poteram, plurimum debere cępi. Verùm ſi ad tuum iſtum animum mea commendatione quicquam amplius acceſſerit, quod erit ſi non ſolum ſuſceptā partē fideliter illi explicueris, ſed quam viam in ijs ſtudijs

cum

cum minus ancipitem, tùm etiam breuiorem in-ſiſtere debeat, eam illi familiariter commoſtrabis: multi enim, ut magnos in ſuis ſtudijs progreſſus fecerint, interdum ſe poſtea tamen in illis magis erraſſe, quàm didiciſſe animaduertunt, atque in caput iterùm redire, aliamque de integro viam inire cogunt. hoc inquam, ſi ante amplius habebimus, me nihil, quod tua cauſa poſthac nolim, polliceor habiturum: quin moleſtum erit, non eam mihi remunerandi facultatem dari, quam ego cuperem, & ipſe merereris. Si quid tamen mea, nequid dicam de eius diuina, ſcripta unquàm valuerint, non minima ex parte ea tibi policeor valitura. Vale.

B. R. IO. ANTO. LOCATELLIO. S. D.

IIII Idus Sept. ad tuum cubiculum, vt te viſerem, ueni, pultò. nulli intus, foris mihi puer reſpondet, neminem adeſſe, te Bononiam nudius quartus tuos viſum, profectum eſſe: dolui tãtum uiæ fruſtra ſuſcepiſſe me. ſed acerbius tuli, quod ſine me, vt millies, conſtitueramus diſceſſiſſes. ſcilicet comitem infacetum, quique ſua taciturnitate commitatui magnam moleſtiam atuliſſet, ſpreuiſti: at ego tibi pro iſto tuo oficio tantundem reponam: nam te inſcio Venetias ſolua m, ne

que

que ego tibi magis fidem meam in eo itinere prę-ſtabo, quam tu mihi tuam in Bononienſi prēſtite ris. Sed de iocis hactenus. ſi me amas, ad impreſſores iſtos ibis, atque eorum ignauiam quantum potes vrgebis, quando ignorantiam corrigere nō potes: vt tandem poſt ſeptimum menſem, quod altero debebant, opus noſtrum nobis abſoluant. hocqne etiam cum Zoppio noſtro ages diligentiſſime, non quod is in eo corrigiendo quiquam claudicet, ſed vt tecum iſtis vulcanis, vel fuſtibus vl meis grandiorem gradum efficiatis. Vale, ac fratri tuo ſalutem, meo nomine dixeris. ego vero vino illi tuo diuino, quando perpetuitatem non poſſum, ſaltem, vt bene etatem ferat, opto. Vale.

B. R. IO. ANTO. LOCATELLIO. S. D.

MIHI ſcribis Campegium doctiſſ. atque optimum virum Dialogum meum de iuditio & cupide legiſſe, & laudaſſe etiā minime ieiune, quod eo ſpectare videtur, vt illi admodum placuerit. cuius laudi tuam ipſe quoque laudem addis, me ſcilicet in latina dictione non poſtremam laudem eſſe conſecutum: quorum vtriuſque iudicium vt probem, cum veſtra integritas, atque rerum omnium cognitio, tum etiam meę laudis non parua mea cupiditas efficit. Sed cū

ad

ad meum poſtea redeo. facile ego contra ſentio; nam vt ingenue de me fatear, non mihi planè ſatisfacio. Dijque faciant, vt mea illa ſit nimis exquiſita diligentia, voſque rectius, quam ego de me ſentiatis. Sed hactenus de Dialogo. Campegio, quod de me tam egregie ſentiat, & tam honorifice loquatur, meo nomine ingentes gratias ages, cui ego vt aliquando aliquam referam, omnem operam dabo. Vale.

B. R. IO. ANTON. LOCATELLIO S. P. D.

AVDIO *Ciues tuos cæcum quendam ab eius ortu in Robortelij locum delegiſſe, quæ res mihi max. admirationem attulit. vt .n. ille in noſtris ſtudijs tantum audiendo proficere potuerit, vt cæteris modo publicam operam ſuam feliciter præſtaret: vix mihi veri ſit ſimile. At in quo (Dij boni) loco. in Bononię celeberrima Academia. hoc reliquum erat, ad ſummam ætatis noſtræ præſtantiam, vt cęci etiã plus, quàm oculati viderent. Vt vndique quanta hominis ingenij ſit nobilitas, quotidie* Deus *ipſe declaret. quid enim recenſeam, quæ ab hoc apud ſuperiores ętates inuenta, atque in hominum uſum ſunt prodita? artes .ſ. ipſæ, atq; artiũ omniũ inſtrumenta: in primis autem literarum formulas, qui-bus*

bus pauciorib. ſignis omnia noſtra ſenſa vel longiſſime gentium, exprimere poſſumus. nunc quod prope monſtri ſimile eſt, homo reperitur, qui vno auditu tantum in optimis ſtudijs profecerit, quantum multi & auditu, & lectione, & ſcriptione vix aſſequi poſſunt, vt etiam videre expectem, qui mutus ſcribat, atque nutui calamum etiam addat. id ſi ita eſt. pergratum mihi feceris, ſi me certiorẽ feceris: nam cęteris in re tam difficili, non ſatis fidem habeo. tibi vel etiam maiora facile poſſum credere. quo mihi à te confirmato, iſtuc aduolo, vt cum illum audiam, tum te etiam amanter complectar. Vale.

B. R. SYLVIO BERTOLAIO S. D.

De tua iſta gratulatione valde te amo, atque eò magis, quòd omnes meos ciues ſuperaſti: quorum adhuc nullus iſto modo mihi gratulatus eſt. Ita eſt, vt dicis Syl. me à meo Pr. valdè amari, atque in primis haberi. tanta enim munera non omnib. elargiuntur. poſſeſſionẽ noſti, quam optimi agri, quamque oppido commodam. vt quod ille de ſuo rure faciebat, ego de meo commode uſurpare poſſim. Ex meo ſcilicet propinquo rure hoc capio commodi. neque agri, neque vrbis odium me unquam percipit. Vbi ſa

tias cœpit fieri, commuto locum. quid vero de aquula dicam, quę ſub villam fluit? Sed poſſeſſionis commodis, atque amœnitati accedit largiendi ratio, nam cum hanc ipſam multi peterẽt. iis omnibus prętеritis eam ſua ſponte mihi condenauit, atque eo modo, quo de noſtro Mucino intelliges. ſed cum mihi gratularis, tum etiam eſt, quod ipſe tibi gaudeas, ſępius enim me iſtic habebis, quam diu Lugienſem prętorem ages, mecũq; feriatus aſſidue ruſticaberis. interea cura ut valeas. meque, ut facis, ama. Vale.

B. R. M. TVLLIO BEROIIO. S. D.

TVI verſus M. Tulli mihi gratiß. fuere: qui enim aliter eſſe poterant, cum tam numeroſe, tam concinne, tam ſplendide ſcripti eſſent? In eo uero, quod ad meas laudes attinet, ſi cum cæteris ambitioſè agàm, maiori voluptate affici non potui: ſi vero tecum ingennè loquar, te in iis multò malui, quàm fuiſti, modeſtiorem: ſed hoc te amoris ergà me tui nimio ardore ductum feciſſe, certò ſcio, idque, quàm ego tuum agnoſco, tam etiam tibi facile ignoſco. Ex pecto mittas, qui tibi tuum ſiccinium deſcribat; nihil enim eſt, quod ego faciam difficilius, quàm cum deſcribo. Vale.

B. R. M. TVLLIO. BEROIIO S. D.

CVM Bononiæ ſuperioribus diebus eſſem, teque ferè quotidiè domum ex febricula langueſcentem amicè viſerem, ac noſtri ſermones plerunque eſſent de noſtris communibus ſtudijs, ſcio te recordari à Topiano noſtro hos duos Virgilij verſus. non

» Extremam hanc oro veniam, miſerere ſororis
» Quā mihi cū dederis, cumulatā morte reliquā.

locus ... nus.

Aliquando adductos fuiſſe, in quibus ingenuè adoloſcens fatebatur, ſe quid Maro incumulatam voce ſibi vellet, prorſus ignorare, præſertim cum ſeruius quoque in eo loco neſcio quid inuoluat. Tū ego meam à te ſententiam rogatus reſpondi: ſi rectè recordor: Seruius, dum locum corrigere ſtudet, magis corrumpere videtur, qui cum tuo iuſſu allatus eſſet, ita compertum eſt. qui cumulatam gratiam ad Annam referri vult: dicens, quod beneficium cum mihi cumulatum dederis, & quę ſequuntur. non enim ita eſt. ſed ad Didonem magis refertur, vt ſi diceret, tantum ſoror apud me tuum beneficium erit, ut ſemper cumulatum remanſurum ſit, etiam ſi omnia tibi pro eo in tota vita reddidiſſem. auget inquam Dido ſororis gratiam, dicens: ego non ſolùm ea in tota vita omnibus meis officijs non æquabo, ſed ne eius

partem

partem quidèm, quo minus ea in me integra ſit efficiam. Cuius meæ ſententiæ, ut Ferrariam redij, cùm in mentem veniret: locum adij in meo codice: vbi in hanc ſententiam Saluſtij locum notatum offendi, quo Virgilij ſententia planius explicari non poſſet, eum tibi ſcribere placuit. Is ità inquit. Id adeò experiri licet, arma, viros, pecuniam, poſtremò quicquid animo libet, ſume, utere, & quoad viues, nunquam tibi redditam gratiã putaueris: ſemper apud me integra erit. Vides, ut eadem ſit Bocchi Regis (is enim eo in loco hoc modo ſylæ ſe debere fatetur.) atque Didonis erga ſororem ſuam debitio. quam uterque vſque eò adauget, ut ſe negent omnibus officijs ulli eius parti eſſe ſatisfacturos. quód Dido per cumulatam, Bocchus verò per integram vocem dixit. Sed redeo ad Didonẽ, ac planius, ſi poſſum, locum explico. hęc igitur inquit; ſi tu ſoror hãc mihi gratiam feceris, ut ego omnia poſteà tibi retulerim, nihil ommiſerim in pari gratia referenda, nihil tamèn de ea diminuero: quin cumulatam, ut ſemper fuit, etiam moriens relinquam. atque in hanc ſententiam Aldinus codex legitur. Quam mihi cùm dederis, cumulatam morte relinquam. non autem ut ſeruius legit. Quam mihi cùm dederis cumulatam, morte relinquam. ut ſit interponctio poſt cumulatã. Sed de loco ſatis. Camillum filium iſtic habes, ſi eum tuis conſilijs:

eſt

eſt enim admodum adoleſcens. ſi ei, quoties tibi vi debitur, non deeris, me à te plurimi fieri iudica bo. pro quo etiàm tanto tuo officio cum tibi omnem gratiam retulero, multò tamèn maior ſemper apud me erit referenda. Vale.

B. R. *M. TVLLIO* BEROIO. S. D.

D IDONEM *abſolui, neque ſinè lachrymis: res enim ea commiſeratione eſt digna: qua vel Æ*neas*, inuitis etiàm fatis, commoueri debebat. ſed nimis ille impius fuit. iactet ſe modò pium eſſe, qui humeris parentem ætate confectum ex medio patrio incendio extulerit. qui ſacra, qui Deos penates ſecum vehat. cùm Didonem ſui amantiſſimam, atque à qua nō ſolum portu, ac regio hoſpitio, ſed lecto etiàm coniugali acceptus fuerat, in rogum extulerit. genus hominum, qui prò maximis officijs crudele mortis genus vel ſummæ loco gratiæ referunt. at fata. Quid fata? quaſi nos noſtra non ſimus ſæpius fata. non enim poſſum putare, fata iſta, tàm nefariam mortem Didoni intuliſſe. Dij enim non impij ſunt, neque ex bonis operibus homines excruciant. ſed ipſa nimis mollis fuit, quæ pro ingratiſſimo prædone ſibi mortem conſciuit. id quod fortaſſè non omnes fœminę feciſſent, ſed potius illum gladium in eum, quàm in ſe conuer-*

tiſſent, Sed iſtos omittamus. Illam ſumma in arce comburi, illũ ventis aduerſis per mare per errare. Vt iterum commentarium reguſtaro, illum tibi poſtea mittam, quem iſtic edendum cures. Camillum filium tibi commendo, tametſi ſcio, te illum æque, atque fratrem alterum amare. Matri uero tuę, ſpectatiſs. fœminæ plurimã, ac longiſs. ſalutem meo nomine dixeris. De Paleotio tua cura erit, vt ſciam, quid meę litterę profecerint. Vale.

B. R. M. TVLLIO BEROIO. S. D.

DVAS tuas orationes mea ſumma cum voluptate perlegi, ſed in ea, qua te furti reum defendis, cum voluptate magnam etiam vtilitatem percepi. Dij boni quid in ea, quod ad cauſam tuam faceret, non vidiſti? vt vero cum ex latinis, tum etiam ex græcis ſi ſcriptio tua furtum iudicetur, omnes eorum ſcriptores fures tecum omnino fuiſſe, optime conuiciſti? quod tantum abeſt, vt dicatur, vt qui aliter ſcribant, vix probentur. nam ſi nihil dicitur, quod non ſit, vel ſæpius, ante dictum. quid tam iniquum, tam impium, tanque omni criminatione dignum, quod commune omnium ſit, ſiquis ſua dictione ſuum proprium efficere conetur? Te-

entium tuis locupletiſſimis teſtibus addas licet. qui furti reus factus, Lelij, atque Scipionis teſtimonio magis probari non potuit. quorum optimorum virorum ſententiam, quam inuidorum maleuolentiam magis faciendam, ſemper ego duxi. clament iſti quantum uelint, furem è ſcena explodendum eſſe: quamdiu ab illo tales patroni ſteterint, tandiu ego cum illis magis errare, quàm cum iſtis ſapere, facile patiar. Sed redeo ad te, credo cum tui accuſatores tuam iſtam defenſionem viderint. iſtos accuſationis, an magis calumniæ ſuę? valde pœnitere. ita enim cum ijs agis, vt magis eos rerum omnium imperitos damnes, quàm, vt te prudenter feciſſe, probes. Quod vero ad alterā attinet. ego iſtos quoq; audire expecto, qui Virgilio Baptiſtam quendam Carmelitam præferant, eunque magis, quàm Maronem, eſſe imitandum ſua ſtultitia tueantur. ſed utrum iſti, quod ſentiunt prædicant, nō grauiter accuſandi, an, quod tam pueriliter ſentiant, magis contemnendi? ſed hoc pacto quid prudens à ſtulto differat, facile cernitur. Hæc in mea Ricciola in Quartiſano, cum tuæ mihi Ferraria literæ ſunt allatæ, quibus me cuiuſdam ſpōſionis appellaturum grauiter minitaris. Ego Tulli, ut ad urbem venero, nuſquam tibi deero. Quid vero ſi eas exequias expectemus, quas ego iſtic tecum ſpectem? & eos verſus tum tibi di-

ctem, tu vero tibi fideliſſimus ſis deſcriptor. ſed ut lubet. nihil eſt, quod meę fidei diffidas, probe enim eam tibi ſum pręſtaturus. De Frizolio vero bellus homo es; qui de me euangelia quęras. equidem illi gratulor. ſed mihi, qui eius ſuauiſſima conſuetudine cariturus ſum, non minus doleo. Zoppio ſalutem. Camillum vero filium, niſi fruſtra eſt, tibi etiam atque etiam valde commẽdo. Vale ex quartiſana cal. Maij. MDLIX.

B R. SEBAST. REGVLO S. D.

TVAS *literas accepi, mihi quidem, ut par fuit, gratiſſimas. in quibus me nouo, atque eo maximo, amico auctum eſſe intelligo. neque tantum humanam conditionem mihi in eripiendis veteribus amicis aduerſari, quantum etiam mea ſtudia nouos ereptis probe ſubſtituere, video. ſcribis enim pro altero Sebaſtiano mihi proxime erepto, te alterum Sebaſtianum mihi eſſe relictum. atque ut in eius locum te accipere velim, peringenue me inuitas. in quo tuo officio tu quidem Regule tuorum ſtudiorum dignum facis, qui eum ames, quem in aliquo tuorum ſimilium numero fortaſſe eſſe nõ ignoras. neque ego meorum indignum faciam, qui te doctiſſ. virum, & amicę accipio, arcte complector. Equidem ante audieram ingenuitatem*

tem

tem tuam ab omnibus commendari, nunc vero à te ipſo eandem video re ipſa comprobari. quã ego contra ſi omnium officiorum integritate mea non ſuperabo, certe, ut eam me æquaſſe videas, facile efficiam. ac continuo, ut id tibi prꝗſtem (quando tanta eſſe videtur, amico occaſionem dare ad optime de ſe promerendum, quam etiã ſi ipſe de eo haud peſſime promereatur) te rogo, vt videas, ſi quę iſtic apud iſtos impreſſores literarum forma ſatis idonea tibi videatur. prꝗſertim eius generis, quæ manum imitatur, ſin, quęq; alia ſit, atque eius poſtea exemplum paucioríb. verſibus deſcriptum mihi mittas, quo mihi quoque comprobato, continuo iſtuc me conferam. atque de meum ſcriptorum editione cum ijs conſtituam. Vt videas, te non ſolum à me libentiſſime in amicitiam acceptum eſſe, ſed continuo eam me non paruo officio confirmatam eſſe uoluiſſe. teque hoc modo probe inuitaſſe, ut ſi quid tibi à nobis opus accidat, id à me tam libere, quàm à te hoc nunc me facere vides, petere non dubites. Vale.

B. R. SEBAST. REGVLO S. D.

*T*VAS *literas cum impreſſoris literarum exemplo accipi. tuas more ſuo amoris plenas. impreſſoris, quæ non plane cõ-*

 probantur

probantur: nimis enim tritę, atque veteres ſunt: quęque opus meum ferre non poſſent. ſi qnid forte melius extiterit, tua cura erit, ut ſciam. neque quęras, cur iſtic potius, quam Venetijs hanc operam quæram, ne mihi dolorem augeas. ego vero, quos nollem, ſi cauſam ſcribam, grauius offendam: nam ſi mutuo in amore ij, qui maxime debebant, mihi reſpondiſſent, de hac editione iam pridem nihil laboraremus. Sed quando in amicitia noſtra concilianda, ut prior fuiſti, in petendo autem ab amico eundem locum habere non potes, ſaltem, te magis in ſecundo, quàm in nullo, vt videam, efficies. ac ſi quid tibi à nobis opus eſſe videris, id ne fideliter petere dubites, te etiam atque etiam rogo. Vale.

B. R. SEBAST. REGVLO. S. D.

*ET amice, & , ut ego cupiebam, feciſti, qui me, ut te antea rogaram, in petendo imitaris. à Manterchio tuas literas, quibus eum mihi commendas, accepi. Ego Reguli, ſi omnes ciues noſtri magiſtrũ ſuis filijs quærerent, ſolus, vel triduo omnibus, ne quid eiuſmodi egerent, qui prouiderem, abunde haberẽ. uix enim alius à me diſceſſit: cum alius adeſt. quin etiam ſępe alius alium ad me oprimit. verum cũ nemo nunc non ſolum, non quærat, ſed quos, pleriqu*e

pleriq; ue habent (vides enim in quam temporum difficultatem inciderimus, quodque bellum nos vrgeat) miſſos faciant, quid ego tibi recipere, aut qua ſpe illum accipere poſſim, non habeo. cui tamen promiſi, idque pręſtabo, ſi quid interim appareret, meam operam nuſquam illi eſſę defuturam. Tu vero meum cuſpium meo plurimũ nomine ſaluere iubebis. apud quem ſi iſtis ſaturnalibus ſim, nihil uobis mirum videri debebit. vtrique inter im Camillum filium commendo. Vale.

B. R. SEBAST. REGVLO S. D.

CVM proximè Bononiæ eſſem, quo toto tempore quotidiè una vel multam horã partim domi, partim foris deambulando, eſſemus: ac de multis rebus, in primis autem de communibus ſtudijs colloqueremur: ſcis de me, quid mihi de veſtris iſtis doctiſſimorum uirorum conuentibus, quos vos accademias appellatis, videretur, quęſiuiſſe: meque ad id, quod de illis ſentirem, tibi explicandum, tempus poſtulaſſe. nunc igitur, ut ei parti ſatisfaciam, tibi reſpondeo: quędam in eius generis Accademię eſſe, quę mihi valde probentur, nonnulla etiam quæ non ſatis placere poſſint. Nam, quòd unà tã amicè conueniatis (ut de vobis dicam) atque in

nobiliſſ. ſermonibus illam diei horam tranſigatis, cur non ſumma laude digni videri debetis? id. n. verè eſt ſocietatem colere humanam: ut qui, poſt mutuam beneuolentiam, in cõmunem uſum quæ priuato quiſque ſtudio ſibi compararit, benignè conferat, atque alij alijs, omnes omnibus conſilio proſint. quo fit, ut quiſque veſtrum ſemper domum, aut meliori ſententia, aut in ſua confirmatior reddeat omnino. Huc accedit, quòd nouę, atque nobiles amicitię ſuſcipiuntur, veteres vero conſuetudine ſtabilius confirmantur. à bonis deinde omnibus inde quoque optimè auditis, qui veſtro iſto otio, non, ut ij faciunt, qui ex multis ſunt, abutimini: ſed in ijs ſtudijs, quę hominem expoliunt, atque virum reddunt elegantiorem, illud egregiè inſumitis: Deinde ex veſtris ſcriptis maximam utilitatem percipitis: quiſque enim ita frequentior, atque magis aſſiduus in ijs ſit exercendis, quàm ſi liber erret, atque ſuo arbitratu agat, non fieret. Poſtremò in eorum correctione dici non poſſet, qui, ac quantus fructus ſequatur: nam cui epigramma cenſendum ſit, is omnes eius partes prius, ut teneat, oportet. poſtea vero quibus illud careat, planius oſtendat. id, quod in cęteris quoque cenſendis ſcriptis faciendum eſt, qui fructus omnium eſt uberrimus. Hæc ſunt in primis, quibus cum ſumma utilitate, non paruam laudem ex iſtis

conuentibus

conuentibus vobis comparatis. Sed contra illa mihi iſtis tot, ac tantis bonis non leuiter aduerſari videntur. quod qui nobiliſs. ſcriptorum loca abſtruſa, minimeque omnibus nota, atque obuia ſummo ſtudio, ac ſua induſtria ſibi deprehenderit, ſi quoquomodo de ijs agendum accidet: ea dedita opera præterierit, ac tantū omnibus trita, atque perſpicua protulerit, ineptus, atque imperitus habeatur: qui in re veſtro tanto conſeſſu indigniſs. operam ſuam occupatam habuerit. ſin contra ea benignius in medium protulerit, atque cum cęteris communicabit, is ſuorum ſtudiorum fructus, ac gloriolam in magnū periculum aduxerit: ne .ſ. diſſoluta Accademia, atque adeo ſtante illa, eorum quiſquàm pro ſuis, alijs poſtea diuulget. atque ita is ſuo ſtudio, atq; labore alijs laudem, & gloriam compararit: ex quo, pręterquàm, quod maximè iniurium eſt, interdum illa odia excitantur, quæ nulla poſtea ſanctior amicitia conciliare poſſet. vt ex optimo officio eum fructum feras, quem vix ferres ex iniuria grauiter illata. In his præterea cenſores creantur, quorum iuditio aliorum ſcripta cenſeantur. in quo idem inimicitiarum periculum verſatur: natura enim comparatum eſt, ut quiſque, quicquid agat, laudari maximè cupiat. ſi vero contra illud damnari ſentiat, nihil ęgrius patiatur, nihil iniquius perferat. quare etiam

contra

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

contra ſuam ſententiam prǫfracte tuebitur, neq; vinci peterit: in qua contentione ſǫpius ad iurgia, atque criminationes, ab his autem ad manus etiam venitur, quorum nihil turpius, atq; à noſtris ſtudijs magis alienum dici poteſt. ſi uero error, atque mendum tale ſit, ut nulla ratione defendi poſſit, tum ille iracundius, etiam in ſe ipſum, quod id non viderit, exardeſcet: non.n. (mihi crede) tam utile eſt erranti mendum corrigi, quàm odioſum ſe erraſſe, monſtrari: mallet ille quidē perpetuo in eo errore verſari, quàm cum tanta ignominia doceri: quod ſi ſǫpius accīdat, id quod neceſſe eſt, ut accidat, pudore pulſus, aut perpetuo poſtea tacebit, aut etiam à collegio ſeſe abduxerit. at huic malo prudenter cautum eſt, lege enim probibetur, ne quis aduerſus cenſorem cauſam dicat, ſed æquo animo eius iuditium perferat. At primum iniquè latum eſſe videtur, quod ſua quiſque ſcripta defendere nō poßit. qui enim ſcitur, an is rectè ſcripſerit? Cēſor autem interdum imperitè iudicarit. Certè.n. rei auctor, quique ſciat mox eam doctiß. virorū iudicium ſubituram, mature, atque haud inconſulte ſcribet, atque interius in illam, quàm alienus cenſor penetrabit. Deinde, ut lex etiam iure, defenſionem omnem accuſato erripiat. id ei nunquàm auferet, ut non grauiter ferat, atque etiā illi à quo ſe damnari putet, grauius iraſcatur.

Verum

Verum æqua lex omnibus eſt perſcripta. is quoque poſtea cum alios cenſebit, hoc eius beneficio in eos vtetur. Audio. ergo tacito odio laborabunt, qui apertam beneuolentiam profitentur. at alij de ſe viderint; inter nos ita ingenuè iam triennium agitur, ut horum nihil ſit auditum. id ſi ita eſt, uobiſcum fęliciter agitur, ac permirum videtur, inter multos eandem ſententiam congruere, quæ vix in paucis congruit. Hæc vero ſunt, quę de eius generis accademia dici poſſe videntur, quæ tamen, ut omnes accademici à nobis ita amicè dicta accipiant, volumus, ut facerent, ſi ab eorum amiciſſimo dicta eſſent. neque vos cum aliud Accademię genus mihi quodammodo magis probari dixero, ideo feciſſe, ut hoc veſtrum, atq; eius ſimile, ex iſtis honeſtiſſimis conuentib. excludã, aut ex huius laude aliarũ ſequatur vituperatio. Tria enim Accademiarum genera mihi conſtituo. Vnum Publicum. priuatũ alterum. Tertium, cùm utrinque res diſputatur. in Publico unus, tantum docet: cæteri diſcunt. hoc item duplex eſt. maius (ut ita nunc diſtinguam) & minùs. maius, ut Bononiæ, Patauij, Piſis, Ticini, Ferrariæ in Italia. in Gallia, Lutetiæ Pariſiorum. in Germania Auguſtæ. Luuaniæ, atque in cæteris ſimilibus locis perpetuò fieri conſtat. Ex quibus Florentiſſ. Accademijs quotidie, tanquàm ex tot equis Tro-

ianis

ianis, præſtantiß. extant viri, qui poſtea quaſi ex frequentiß. ſeminarijs, aut ad ciuitates regendas, ac populis ius dicendum, aut ad hominum morbos depellendos, atque ad priſtinam eis valetudinem reſtituendam, deliguntur, atque in omnes orbis partes, tanquam in vacuum agrum diſſeminantur, quo genere Academię nihil nobilius, nihil prę ſtantius, nihil utilius in terris habetur. Minus autem genus eſt, quod in minoribus vrbibus, atque in opidis exercetur, quod perinde ſe habet ad illud maius, atque familia optime inſtituta ad Remp. ſanctæ adminiſtratã, ut enim familie pæruę ſunt Reipub. formę atque imagines, vnde etiam ij poſtea viri deliguntur, qui ad remp. gubernandam accedunt: ita opidanæ ſcholæ adoleſcentes erudiunt ad maiora illa poſtea ſtudia capeſcenda. Alterum genus erat quod priuatum faciebamus: hoc autem inter domeſticos parietes, & certis quibuſdam, quibus tantum ingredi licet, nulli præterea alij, conſtitutum eſt. hoc quoque bifariam diuiditur: alterum, ut veſtrum, de quo ſatis ſupra à nobis diſputatum eſſe arbitror. Alterum cum pauciores conueniunt, ſed alio inſtituto, atque vos facitis, ſe in eo exercent: id autem tale eſt (ut ego hanc Academiam tibi conſtituam) ſex viri ſatis enim hi nunc mihi ſunt, alias alij plures, ut aciant, licebit, horum vero quiſque ſuum certũ

habeat

*habeat officium : puta alium, qui in poetis : aliũ
qui in oratore : Tertium in hiſtoria: Quartum in
linguę ſplendore, atq; dignitate: Quintum in agri
cultura: Sextum in moralibus diſciplinis optime
verſatus ſit. horum quiſque tertio quoque die pa
ratus veniat, atque quicquid habuerit in ſua fa-
cultate indagatum, id in medium afferat. ut ſi
poeta (poeta enim nunc illum appello, qui in poe-
tis verſabitur) ſibi ſumpſerit, aut quartũ Aenei-
dos, aut Horatij poeticam, aut quid tale expli-
candum, paucis, ut per ſemihoram de ſuperiore
loco, quicquid in pręſenti parte dignum vobis,
dignum poetis habebit, cęteris Academicis ex-
plicabit. Ita orator in quaque oratione malit.
Ita hiſtoricus. Ita reliqui deinceps omnes omni-
bus, quod ſibi domi excogitarint, ut melius fa-
cere poterunt, fideliter impertient. Ex quo
genere ſtudij quantus fructus percipiatur, at-
que utilitas emanet, nihil eſt opus dicere, quis
enim continuo non videt, una opera quinque fa-
cultatum quenque eorum partem ſuam domum
referre? atque eodem tempore preſtantiſsimis
diſciplinis optimam operam dare, cum tamen ni
ſi in una ſua ſexta quiſque laboret: faciatque
quaſi qui pecuniam in fęnus locet, qui per centũ
quingenties fęnus recipiat. Quę ratio ſi poſt men
ſem conficiatur, magnam ſummam conficiet: ne-
que tam ferax pratum eſt vllum, quod tantum*

fęnum

fœnum, quantum hoc ſtudium foenoris ferre poſſit. neque timendum erit, ne ingratos ſuorum ſtudiorum particeps faciat, cum ſtatim pro uno quinque recipiat. Quod genus Accademie Stephanus Saulius vir in hiſce noſtris ſtudijs elegantiſsimus in amoeniſs. villa ſua in agro Genuenſi cum M. Antonio Flaminio, cum Iulio Camillo, ac Sebaſtiano Delio aliquot menſes exercuit, atque exercere perexiſſet, ſi per Flaminij inualetudinem ei licuiſſet. Tertium genus eorum eſt, qui de re propoſita argute diſputant, atque etiã in contrariam partem; quod quidem plurimum valet ad ingenij aciem acuendam, atque poſtea, cum opus eſt, etiam ex tempore in omnibus reb. apparatius reſpondendum. Hoc genus Philoſophi proprium ſibi vendicant: à quibus etiam ſolis argumentandi rationem, & uiam petendam eſſe volunt. In quo genere Academie Florentiæ ſub Coſmo, Petro, ac Laurentio, Medicijs, Ficinij, Caualcantij, Argiropoli, Bencij, Pici, Politiani, Marulli, Landinij, Marſupinij, Ricaſoli, alijque floruere. Hæ ſunt Reguli, quæ de iſtis ſtudijs, quas Academias dicitis, ego per iſtos ardentiſs. ſolis ardores in meo quartiſano colligebam, quæ tibi poſtea ſcriberem. cui meæ ſententiæ non dubito, ſi is ſis, qui eſſe debes, quin tua quoque facilè accedat ſententia. ſin ſecus ſenſeris, expecto quibus id ſentias rationibus, ut

mihi

mihi perſcribas. Vale meis Fantonijs fratribus, ac Robortellio ſalutem. ex meo Quartiſano XI. Cal. Auguſti.

B. R. SEBAST. REGVLO S. D.

SI iſti impreſſores eas literas, quæ vetuſtate ita corroſęſunt, ut alia ab alia dignoſci vix queat, reficiendas curarint: ut tandem ad inſtitutum opus reddeant, meis uerbis eos impelles. Si nondum etiam. ut ipſi fuſorē ſuum urgeant, benignè communefacies. ſi vero eos neutrum curare ſenſeris. tum apud Cuſpium conqueraris licebit: qui eos mihi ex pacto noſtro fidem prę ſtare cogat. nolo enim abſente me, rem in iudicium vocari. Hactenus de impreſſorib. reliquum eſt. vt Lud. Sauignanio tuam negligentiā amicè purges: meam erga eum beneuolentiam valde commendes: probe enim ſcis tua culpa factum eſſe, nè ego illum, & poſtea cum multos dies, & primum, cum aliquot etiam menſes Bononiæ manſerim, ſaltem viſerem. quod meum officium. ita ex die in diem protuliſti, ut illud mecum domum referrem. meis etiam fantonijs fratribus ſalutem renouabis. Vale.

B. R. CAMILLO FILIO. S. D.

CAMILLE ſi vales, bene eſt, ſi mater quoue valet, multò melius eſt. ego quidem optimè valeo. nos adhuc in Cõſandolo tempeſtas retinet. cùm mare conquieſcet, quo nauibus comeatus transuehendus eſt, Comaclum nauigabimus. vnde ego tibi mittam barbatulos piſciculos, auratas, ſgumbros, rumbos, vel rauenatibus meliores. Tu eris intereà cum tuis libris. neque tamen tibi pilam, atque reticulum tuum aufero, ſi ijs, & ſuo tempore, & moderate, hoc eſt ſinè ſudore, uteris, matriq́ue, ut debes, obtemperabis, cui meo nomine ſalutem dices. Vale. Ex Conſandolo.

B. R. CAMILLO FILIO S. D.

PERPVSILLA hæc quidèm pecuniæ ſumma eſt, ſi animum meum ſpectem, multò etiàm minor ſi tuum. Si verò cũ re noſtra eam comparem, ea quàm maxima eſt. Tuum autèm erit, ut tua parſimonia & meam voluntatem æques, & tuum animum ſuperes. & agelli tui merces, ut te ferre poſſit, ęquè curabis. in tuis verò ſtudijs tantum profeceris, quãtum debes: debes autèm quàmplurimum. Vale.

BARTH. RICCII

LVGIEN. EPISTOLARVM

LIBER II.

B. R. *LAVR. GAMBAR.*

S. D.

MEN *quoque Gamb. tuis heroius admiſces? atque cum ijs uſque ad infimos indos tranſuehis? vtinam ego mihi melius augurer, perinde enim eſſe videtur, atque ſi diceres, iam eò perueniſti Ricci, vnde ulterius progredi non potes. id quod ex* LXX. *annis meis facile conijci poteſt, neque tibi ab inferis ullus, quàm ſummi iudicij, alius datur reditus. non enim tantum vię tan natu grandem virum ingredi, par eſſe videtur, ut iterum ex longiſſ. illa nauigatione ad nos ſuperos rediturum me ſperem. Quare mihi ſatis eſſe poterit, ſi quod reliquum eſt vitę, in meum Quartiſanũ, meo ciſio per æſtatem cum meo Antonianio, vehar. vel ſi quid paulo etiam longius, Bononiam ad meos cuſpios, Beroios, cæteroſque amicos. aut etiam Venetias ad meos Cornelios. inde Patauium ad meum Abioſium per hiemem autem, cum non ſolum maria, verum etiam terreſtria itinera tum frigoris, tum ventorum ui clauſa*

ſunt, ad ignem cum Columbo, ac cęteris, qui na uigationem illam ſcripſerunt, totum illud iter legendo mihi conficiam. Sed quid ego ſum hominis. qui ſuperiore anno etiã bello bonus ſum habitus, cũ tot fortiß. viris nauẽ, vel ultra Indos, ſi detur alius locus, conſcendere verear? vnde mihi tot gemas, tantam auri vim, tot pręcioſas res ſim domum reuecturus? huc accedit, quòd magnam voluptatem capiam, cum alium orbem, alias gentes, atque harum alios mores, cultus, quę ad humanam vitam agendam maxime pertinent, uidero. Sed heus tu, quam torridam, quãque glacialem plagam inter nos, & illos veteres eſſe rati ſunt, ut eas præteruehemur? ne timeas Ricci? nulla èa eſt, nugæ ſunt, atque poetarum fabulę. totum eſt habitabile. veteres enim (quod cum eorum bona gratia dictum volo) in eo imprudenter allucinati ſunt. Quid ego ex te audio? num tuus quoque Maro cum cæteris illius artis prudentiß. viris in ſuis quinque plagis elapſus eſt? re ipſa, non rationibus atque argumentis ita eſſe iam pridem declaratum eſt. doleo tantos viros in hoc tam manifeſto errore verſatos. Sed quoniã non arbitror te vectorem ullum officio vacuũ tollere. quæro ego de te cui operi meam operã uſui eſſe poſſe, reris? nam ſi me aut impellendo remo, aut velis, ſiue tollendis, ſiue deducendis, deſtinaſti, aliarum virium id, quàm ſeptuageuarÿ uiri,

ri,

ri, totum eſt onus. ſi ut per funes volitem. ego vix humi repo: ne dum ſatis obeſus funambulus fiam. ſi clauo gubernatorem conſtituiſti. magnum periculum eſt, ne vel prima nocte alterũ palinurũ oceano compararis. non puto te ad ſentinam exhauriendam politiß. hominem addicturum. multo vero minus, qui cęteris imperem, qui eius artis ſim imperitiß. quique ventorũ nullam ſcientiam teneam, neque unquam aliàs mare intraui. ſi verò malueris, ut is ſim, qui aut per foros curſitem, aut qui remiges impellam aut qui ſignum iiſdem quando remis incumbãt, aut quando eos ſuſtineant, aut inhibeant, falleris. cum horum nullus mihi vſus, nulla ſit ſcientia. neque me in ſummo malo, quaſi in ſpecula, collocabis. qui ne vitreis quidem occulis certius quicquà cernam. At quædam ſunt tamen, quib. ego aliquam operam dem. vt pede faciendo, in anchoris euellendis, & funibus in ſpiras colligendis, & in cęteris eius generis. Verum ſi tu magis amice mecum agas, me à meis ſtudijs non abduxeris, ac multiplicem eam nauigationem mihi deſcribendam attribueris. in quo officio fortaſſe ego tibi ſatisfaciam. vt continuo vnde à Gadibus ſoluemus quantum vię in ſingulos dies, ac quęque, quo vento, conficietur. quæ pericula prudenter deuitabimus. quas tempeſtates virtute ſuperabimus. ad quę loca poſt lon

giſsimam nauigationem appulerimus, qui eorum habitatores, qui mores, qui deorum cultus, qui veſtitus, quę leges, inſtituta, rerum copia, cæteraque, quę notatu digna videbuntur, deſcribendo. hoc modo utrique optime conſulueris. neque enim ipſe, inanem hominem tolles, neque ego non ad nihil bonus videbor. neque hac ratione quicquam habebo, quàmobrem nobiliſs. iſtam nauigationem non exoptem, qua non colcos, non thulem vehar, ſed totum orbem terrarum circunuehar. Tuis igitur me, quòd tua ſponte antea feciſti, permittente, atque etiam rogantem, aſcribas, licet. cui ego ad diem dictum preſto ad portum adero. atque cum reliquo nobiliſs. commitatu fęliciter nauem conſcendam. Vale. Ferrariæ.

B. R. CAMILLO FILIO. S. D.

MATREM tuam, ſi per Annæ valetudinem ei licebit, expecto. tuum eſſe uidetur, vt eam non ſinas ſolam venire. Fuſchinius equum, quando Ciſium odiſti, tibi accõmodabit. Viſes poſt alterum annum tuam villulam. perſicorum adhuc reliquum eſt non parum, Vua optima, Cælum autem illud, quod ſcis ad concoquendum factum. vt vel ad alterã diei horam eſuriendum ſit. Si tuum Aliotium te

eum adduceres, nihil amplius deſideraretur. Curabis, ut hæ literæ rectè Bononiam perferantur. Vale ex noſtro Ricciano.

B. R. CAMILLO FILIO. S. D.

TVAS literas cum pecunia argentea peregrino ſigno excuſſa, quàm iſtic publico edicto (ut ſcribis) impendi uetant, ut quam ipſi ſuam interim maximam ſignant, commodius diſpendant, à noſtro uiſcouino accepi. pro qua tantundem auri ſignati tibi remitto. cum his etiam penula mea mihi relata eſt, ſitu, ſordibusq; atque (ut in naui fit) tota pice, atque plicis malè obſita. qui retulit, quod ipſe coram nunquam dixti, refert. ſi tuam, & ipſe per imbrem, atque hiberna tempora habeas, tibi quàm commodiſſ. futurum. Quare continuo eam tibi conficiendam curo, atque cum his literis per publicum tabellarium tibi mitto. Vale.

B. R. CAMILLO FILIO. S. D.

DII OMNIA mala dent iſtis publicis tabellarijs. his ego literas cum pecunia, atque penula do, atque pro ijs ferendis etiam amplius, quàm ſatis eſt, in literis foris inſcribo. ut eæ citius, & perferantur, & reddantur,

tur: & tamen in decimum diem non redduntur: quare ad iſtorum principes ad Angeli hoſpitium ipſe adibis, atque de illis hæc omnia quæres. caue quicquam periiſſe putes, quicquid damni in iis fecisti. ideſt, quòd eorum uſu decem hoſce dies caruiſti. ſed in pecunia grauius, qui interea contubernalibus tuis grauis fuiſti, qui eorum conuictu tuum uictum ſuſtinuiſti; ſed omnium rerum eſt uiciſſitudo, aliàs ipſe hoc ipſum illis præſtabis. M. Tullium, atque eius matrem ſpectatisſimam fœminam meo nomine plurimum ſaluere iubebis. Vale.

B. R. CAMILLO FILIO. S. D.

QVA hora à te Ferraria diſcesſi, eadem, hoc eſt duo de uigeſima, altero die Venetias appuli, ut uideas quàm ſtrenue, ac fœliciter nauigarim. tametſi ex mea illa nauigatione non nihil febriculæ contraxi. nam cum nuſquàm remum continerem, ac totam illam noctem in naui non ſatis commode cubarem, tanto pedum frigore ſum affectus, ut duobus ſequentibus diebus ſtomacus ita cõfriguerit, ut quicquid cibi caperem, nihil omninò ex eo concoquerem. quod cum uideo, ab eo me abſtineo, atq; inedia curari cœpi. tertia uero nocte ſua ſponte uenter in illud profluuium mihi perſoluitur, quo eum Fabius

bius noſter interdum ſuis pharmacis exonerare ſolitus eſt, in æquulam totum ſe diffluit: quæ me res cum paulo languidiorem reliquiſſet, mane medicum accerſiri iubeo praſto adeſt Abioſius meus, qui me non ſine febri offendit, hortaturq́; ut bono ſim animo, ex illo frigore hęc omnia cõtracta eſſe affirmans, meq́ue eadem, ut illi, dieta uti iuſſit. atque ita quarto die ex lecto ſurgo, atque valide valeo. hoc quantum ad me. Nunc venio ad noſtros Cornelios, qui quàm moleſte tulerint, quod te, ac matrem tuam mecum non duxerim, dici non poſſet. cauſam affero honeſtiſſimam. non eſt accepta. vt dij ſaluum illum eſſe velint, quãdo mea integritate perdant, dicere non poſſum, qui nos hac integra voluptate frui prohibuit. matri omnia emi, uſq; ad acus. tibi vero cras totum dabo. cui cum ſatisfecero, nihil mihi reliquum erit, quin ad vos duas animas meas aduolem. Vale interea, & matrem meo nomine deoſculabere. Venetijs.

B. R. CAMILLO FILIO S. D.

MESSIS ad aream conuecta eſt: vt primo quoq; tempore tritura fiat, probe curatur. ſed qui equas ad illud opus locant, eã longius producere vidẽtur: ut qui altiores frumenti cumulos, ac pleniores areas ſequantur.

tur. quæ res nos diutius ruri cõtinebit: vbi tamẽ noſtris ſtudijs non prorſus vacui ſumus: tres n. primos noſtros de gloria libros perlegi. quædam etiã diligentius correxi. ſcripſi ad Cantelliũ, ad Nobilium, ad Antonianium haud fortaſſe ruſticas epiſtolas. huc accedit ea oratiuncula, quam tibi mitto: contra vero quid tu in tuis agas, ſcire cupio. Cum Sarachio ſi eris, ac rem illam numariam curabis, ne ſcilicet ille abeat, antequàm ad numum diſſoluat, rem tuam curabis. Aurifici pauciores illas literas, quæ ad noſtri imaginunculam aſcribendę ſunt, quamprimum dato. Floram matrem tuam meo nomine plurimum ſaluere iubebis. Vale ex noſtro Quartiſano Non. Iulij M DLVII.

B. R. CAMILLO FILIO S. D.

HODIE *Camille fili dũo de viginti annos natus es. tantum enim dierum eſt, ex quo die tu in has auras editus es. quod tempus domi tuæ cum parentibus tuis in optimis ſtudijs, atque ingenua, ac liberali educatione traduxiſti. primos quidem annos, ex quo fari cępiſti cum Aloyſio ateſtio in primis literarum rudimentis percurriſti. reliquos quatuor in iure ciuili perdiſcendo publice poſuiſti. nunc vero, cum domeſticus tuorum ſtudiorum curſus iſtius importuni*

portuni belli interiectu interrumperetur, atque eorum abſolutio, quã domi ſperaras, apud alios tibi comparanda eſſet, Bononiam conceſſiſti, ubi cum me, quaſi adoleſcentiæ tuæ rectorem habere non poſſes. mihi viſum eſt, ſaltem hiſce præceptis tibi abſenti non deeſſe, quibus, ſi parueris, parentis quidem præſentia carebis, eius quidem conſilio minime. Duo igitur ſunt Camille fili, quæ tibi in hoc tuo ſtatu maxime attendenda ſunt. alterum ſtudiorum tuorum, quorum cauſa iſtuc veniſti, diligens ratio: alterum morum, & totius vitę, quę non minus in homine, quàm rerum egregiarum ſcientia, elucet, optima inſtitutio. Quod ad ſtudiorum rationẽ attinet, eam ijs operam dabis, cuius omnibus breui non paruum fructum extitiſſe comprobes. quib. vt libere, atque nullo impedimento vacare poſſis, omnia tibi à nobis apud quempiam eorum hominum, qui in ſingulos menſes certa mercede conſtituta tui ſimiles alunt, habebis comparata. ne ſi ad menſtruum cubiculum agas, omnia (ne quid agam te quotidiana, eius commutatione) quæ ad victum faciunt, à te ipſo ſint cum tuo magno incommodo prouidenda. neque quę ad ea tibi opus eſſet pecunia, tam tibi Ferraria quotidie ſit ex petenda, atq; etiam èxpectãda. Quod vero ad Doctores tuos attinet, continuo videbis, quos tibi proponas ad audiendum, in qua una

couſultatione

conſultatione, ſi Ceſalius noſter a Bononienſib. vt factũ iri videtur, dicernatur. nullus labor tibi accidet. ſcio.n. te hunc multis de cauſis cæteris omnib. eſſe antepoſiturum. ſi vero nullus acceſſerit Ceſalius, tum tu, quem cum nomine, tum etiam re cęteris præſtare cognoſces, eum tibi deliges ad audiendum. Hoc autem, quod ad tua ſtudia. reliquum eſt, quod ad vitæ inſtitutionem attinere dicebam. In primis igitur qui cum agas, quoque familiarius utaris, prudenter videbis. nam cum duo ſint hominum genera, alterum optimis moribus præditum, quodque cum virtute agit. alterum quod ab his contra abhorret. ab hoc vt caueas, alteri vt adhęreas, te paterne moneo. ſed quoniã difficile eſt in primo congreſſu hominum naturam deprehendere, vt quæ in intimis animi latebris deleteſcit, præſertim in tanta nobilium adoleſcentum multitudine. continuo non ita te totum in vllius familiaritatem conieceris, vt, cum iam experiendo malam deprehenderis, ab ea non facile poſtea diſcedere, teque recipere poſſis. Cum iјs vero, quibus cum verſaberis, ita te geres, ut nulli te inſolenter preferas. omnes tibi anteponas. quo vno officio, omnium omnem beneuolentiam facile tibi conciliabis. caue enim putes quicquàm tam amari, atque commendari, quàm humanitatem, atquè facilitatẽ. quemadmodum contra, nihil plus homines odiſ-

ſe

ſe poſſe, quàm ipſam inſolentiam, atque ſuperbiam. in ijs uero obſequendis eam rationem adhibebis, ut uſque ad aras te amicum præbeas. ne quid cũ cuiuſquàm alius iniuria facias. potius .n. ab ea cum tuo aliquo incõmodo ut abſtineas, quã cum aliorum damno, ut facias, tibi præcipio. nam in tuo damno, ut ego id ignouero, nemo alius à te quid tale repoſcet. in iniuria autem, quam alij intuleris, conſcientiæ ſtimulis ſemper ſolicitaberis. Illud in primis tibi perſuadere debebis, non omnibus temere fidem eſſe adhibendam, multo uero multis pollicitationib. minus, imponũt enim nunc magis homines, quàm mutuum reddant. in quo ſæpius dedecus, quàm damnum grauius hominum animos offendit: quorum utroque poſtea facile ad arma uenitur, atque ita, quos amicos nobis officio comparaſſe putamus, infenſiſſimos inimicos experimur. Quoniam uerò noctis tenebræ homines domum colligere uidentur, aut ad quietem capiendam, aut ad domeſticas actiones agendas, ipſe temporis rationi obſequens, in tectum tuum te ſub primã noctem recipies ad tuos iuris conſultos optime uerſandos. foris autem eos per tenebras uerſari ſines, quibus lux odioſa eſt, quique inde uictum per furtum, interdum etiam funem ſibi comparãt. Tu uero in tuo cubiculo cum tuis libris colloquere, atque inde amice, quæ in tuam utilitatem conferas, furabere.

nam

nam ut, etiã nulli iniuriam foris per illud tempus facias, quare etiã neque eam à quoquam ipſe quoque pertimeſcere debeas, multę tamen cauſæ sũt, quàm obrem etiã inſontes iniuria afficiuntur: ut ſi pro alio accipiaris, aut alieno uulnere pereas, aut etiam inſciens alij impedimento ſis: & multa eius generis ſimilia, quæ caſu circumuolitant. Quoniam uero in ueſtris magiſtratibus creandis contentiones inter uos maximæ exoriri ſolēt: tu eas alijs relinquēs, in id unum incumbes, ut te citò ad publicos magiſtratus accipiendos expedias. qui ſi ulli erunt à Principe tuo, tibi non deerunt, neque ab Aloyſio eius fratre tibi quid tale deſiderabitur. Poſtremò autem quod primò in loco tamen poſitum eſſe uolo, ut toto animo Deum unum, & trinum colas, uidebis. neque quicquam ſiue tecum, ſiue cum alio agas, quod non ab hoc initium capiat, atque in eo perſiniat, Chriſtiane prouidebis. quod ſi præſtiteris, nullæ inſidiæ, nulla fraus, nulli doli tibi intẽdi poterũt: is te tectũ ab omni aduerſa fortuna perpetuo cõtinebit, neque non tua ſtudia ſecreto plurimum adiuuabit. quod, ut facias, non ſolum tibi paterne præcipio, ſed te etiam, atque etiam Chriſtiane rogo. Vale.

TVAS

B. R. CAMILLO FILIO. S. D.

TVAS literas expecto omnibus de ijs rebus, quas tibi diſcedens mandaui: in primis autem, quo loco res libraria ſit, aueo ſcire. an impreſſores in officio perſtent. an cum meo diſceſſu aliquid ipſe quoque ab eo diſceſſcerint, ac remiſsius agere cœperint, quod tamẽ ferri poteſt, modo recte cætera. nam quanto rem longius produxerint, tanto maiori cum eorum detrimento fiet. videbis ut ignis ſit in furnulo ad locum concalefaciendum. multum enim intereſt ad literas ex ſuis ſignis exprimendas, an is frigeat, an calefiat. deinde ne atramento nimis exiliter parcant. nam quæ folia mecum attuli, ut ea melius cerno, albeſcere videntur. qui vero in prelo comprimendo operam dat, eum commoneſeceris, ut digentius curet, ne, quæ interſpatia ſunt, cum literis ipſis emergant, notaſque ad aſpiciendum turpiß. efficiant. id quod in meis in multis locis apparet. hactenus de impreſſorib. De cubiculi commutatione, ut tibi videbitur. Nicholai conditio mihi perplacebat. cui meo nomine ſalutem dixeris. Vale Ferrariæ V. calen. Decemb. M D LVII.

B. R. CAMILLO FILIO S. D.

TVAS literas eo die, ut coniĳcio ex earum die. quo tu meas, accepi. ſed permiror, cur folia omnia, quę poſt meum diſceſſum impreſſa ſunt, mihi non miſeris, præſertim cum hoc in primis, à me in mandatis haberes. ut ſtatim viderem, quàm rectè res procederet. an me abſente quicquam negligentiæ in eam irrepſiſſet. quemadmodum de foliorum numero ſcribis. qui alieno loco per eius, qui in plumbo ad prelum deſcribit, ſummam imprudentiam poſiti ſunt. quod erratum non manu, ut tu reris, ſed totius folĳ renouatione tantum corrigi poteſt. idque eius ipſius ſumpta, cuius erratum eſt. Sed cura te rogo, ut primo quoque tempore ea folia ad me mittas. vereor enim ne quid in ĳs grauius offenſum ſit. certe literæ quotidie minus placent, parumq́ue expreſſe videntur. Mater tua te ſalutat. Vale. Ferrariæ XV. Cal. Ianu. M D L VIII.

B. R. PETRO MERCANTIO S. D.

EGO Mercanti putabam, & ut tu mihi coràm, & Camillus per literas receperatis, poſtridie, quo tu Bononiam per

ueniſſes, illum inde aut equo, aut Ciſio ad nos ad uolaturum. quod tantam abeſt, vt id mihi pręſtiterit, ut ne literam quidem ad me poſtea miſerit. id ſi eo fortaſſe fecit, quia quotidie diſceſſurus eſſet. poſſum illi ignoſcere. ſi vero quis nouus caſus eum nobis intercepit. valde doleo. tu tamen ſi me amas, cura, ut ſi non ante, ſaltem cum Frizolio noſtro veniat. quod ſi ſe facturum neget, pari ratione, quàmobrem id neget, me certiorem facies. Vale.

B. R. IACO. INVITTIO. S. D.

SCRIPSI *ad Mazolanium. is mihi reſcribit, fidemque ſuam obteſtatur, tantum abeſſe, vt quicquam aduerſus tuam dignitatem egerit, vt etiam, cum à quibuſdam tuis ciuibus rogaretur, vt locum iſtum peteret, nihil eos audierit. teque illis, tuumque in eorum filios ſtudium plurimum commendarit. id quod ego tibi affirmare non dubito: noui enim eum probum virum, atque antiquæ bonitatis hominem. qui præterea cum in re familiari ſatis cōmode agit, tum etiam apud ciues ſuos non in poſtremo loco habetur, qui ocij publici cauſa* X C. *vir ab ijs factus eſt. Vale.*

B. R. SERAPHINO IACOBEIO. S. D.

GRATVLOR *tibi, qui iterum prætor à Trigeſtinis delectus ſis. doleo, quod interea tua conſuetudine ſum cariturus. ſed tuæ cum vtilitati, tum etiam dignitati omnis mea voluptas, quàm ex ea capiebam, merito eſt poſtponenda, cui id quoque accedit, quod non ſine aliqua patriæ gloria bis in eam præturam decretus es. nam etſi tua propria laus eſt, ea tamen cũ tuis quoque ciuibus communicatur, qui eum ciuem habeant, qui ab externis, longe etiam gentium, ad ius ſibi dicendum iterum decernatur. Vtinam Seraphine, (quod amice, ac vere dictũ ſit,) ea integritate, qua tu in iudicando vteris, Iudices vterentur: multo cum litigatoribus equius ageretur, non enim aut temporis dilationibus iudicia perirent, aut in iis homines cum re ætatem iniquiſſime conſumerent. Sed hic me comprimam, ne quos nolim, offendere videar. Vale, atque iſta altera prætura fęliciter abſoluta, vt ad nos te incolumem referas, cura.*

B. R. FABR. RESECIO. S.D.

TRISTIOR nuntius mihi nullus afferri potuit, quàm cum de Horatij fratris tui obitu mihi nuntiatum eſt, ita enim eo affectus ſum, vt quo vis alio grauius affici nõ poſſem. amaui equidem illum Fabrici, vt planè ſcis, cùm propter Vrbanum parentem veſtrum, meum optimum magiſtrum, tum vero propter eius humaniſs.mores, atq; ſingulares animi virtutes plurimum. cui meo tanto deſiderio, tua quoque non leuior cauſa accedit: quem ſcio cum eo prope ſimul vnà interijſſe. quid enim dicam omnem vitę tuę voluptatem amiſiſſe? quem primum, non ut fratrem, ſed vt filium, inſtitueras: deinde etiam virum factum, atque eorum ſtudiorum, quæ vere virum probant, Bononiam ſecutus es: atque eius ſuaſu in eam curam veniſti, vt à tua liberæ uiuendi ratione diſcedens, uxorem duceres, hoc eſt, vt in Chriſtianam quidem illam, ſed grauem tamen, tui præſertim ſimilibus, venires ſeruitutem. vt à te, qui primus eras ex quinque fratribus, iam cęteris mortuis, quod à ſe habere nequibat, familię veſtrę ſemen in liberis propagaret. paruiſti. cum eo fraternè uiuebas. vterque, ut melius ab illis curis fieri poterat, in veſtra ſtudia incumbentes, cum ecce

tibi ex tranſuerſo, quæ ſuo ſemper magis, quàm noſtro tempore uenit, mors ueſtrę coniunctioni inuidit: quàm ut inique dirimeret, eum tibi erripuit: te ſolum reliquit: cuius dolor meo quoque dolori accedit. uideor enim te uidere noctu, diéque in omni ſermone, in omnibus tuis ſcriptis heu frater, heu frater, ubi nunc es? ubi fratrem tuum deſeris? qui, ut te multo ante in hanc lucem uenerat, ita & ex ea prius exire debebat: atque etiam multo acerbiora querentem. Sed id mihi durius accidit: quòd in tuo tanto luctu nullam tibi conſolationem afferre poſſum, qua uel dolorem iſtum tuum leuare, ſi minus ſanare poſſem. grauiß. enim plagam accepiſti. recens uulnus eſt. medicus autem is adhibetur, cui propè pari, quàm tibi fratri, conſolatione eſſet opus. qui naturæ clementia in alienorum malis ualde commouetur, in amicorum vero calamitatibus prorſus occumbit. Sed quid tandem agemus Fabrici? tu fratrem optimum, ego amicum chariß. amiſimus: ſoli deſtituti ſumus, num id perpetuo lugebimus? certe ſi lugendo, aut dolorem leuare, aut eum nobis reſtituere poſſemus, omnes lachrimis habænę dandę, atq; etiam alienę ſummo prætio eſſent emendę. ſed quoniam, neque flendo quicquam horum proficimus, ad nos redeundum eſt, atque in rationis girum noſtra uoluntas reuocanda: quæ eſt, vt quod ſemel ortum ſit,

id

id quoque, ut aut ocius, aut ſerius moriatur: neque cauſas ullas quærere, quamobrem nobis dolorem, quem mitigare debemus, augeamus. Amiſimus parentes, fratres alios, amicos: moleſtè tulimus: quod tamen noſtra prudentia ipſi nequiuimus, temporis longinquitas tantum illũ dolorem non ſolum ſedauit, ſed etiam prorſus abſtulit. id igitur quod antea non factum eſt, in præſenti luctu arripiamus, atque pro lucro habeamus, ſi quod tempus ipſum eſt allaturum, ipſi noſtra, aut prudentia, aut patientia præripiemus. Redi igitur Fabrici ad tua ſtudia, ac quod cum fratre amiſiſti, amiſſum ne recordare. illud quidem in animo tibi inhæreat, fratrem non eſſe amiſſum: ſed unde prius deſcenderat, in cælum remigraſſe: quo eius ſanctiſſ. mores, atque totius vitæ integritas illum repoſcebant; familiamque, ut facis (quæ reliqua tua cura eſt) in ijs bonis, quæ vos veſtris honeſtiſſimis ſtudijs cõparaſtis, guberna, Deoque ipſi, qui te illi incolumen reliquit, gratias agas immortales. Vale.

B. R. BENED. MANZOLIO S. D.

PERBELLI me hercle homines eſtis, atque elegantiſſimi hoſpites, quique lautiſſime, atq; opipare amicum acipitis. ita ne cum eo hoſpite fuit agendum? quem pro-

beſciretis, & ſuo cibo quotidie bis uti integro? neque in eo capiẽdo, quicquàm horæ ſuo ſtomaco, ne illi ſtomachum moueret, difraudare? valete boni mei hoſpites in omnes iſtos ieiunij dies. Ego, qui, & mei ſtomachi caliditate, & multo etiam magis longiori hora optime concoxeram, atque ad menſam famem, uſque ad aſſum vitulinum attuleram uno ficu, nucibus auellanis duabus, Tribus minutis piris, totidem prunis, fenicu-lo etiam loricato in ientaculis appoſitis eam explebo? non placet mos iſte prandendi, qui iſtis anguſtis terminis circonſcribitur. malo ego humilium hominum in ieiunijs morem, qui ſua ho ra laute prandent, veſperi poſtea, ſi libuerit, quid leuius guſtant, vt magis dormitum, quàm laboratum, vel etiam deambulatum ieiunus diſcedam. Sed mihi ſemel impoſuiſtis, ſi poſthac in talem me diem habebitis, vobis permitto, vt me impranſum, atque etiam incenatum dimittatis. Illuſerit Græcus homo, ut lubet Italorum morẽ, qui bis in die ad honeſtam ſaturitatem comede-rent. Ego hoc patrio more, atque capiendi cibi inſtituto meam vitam ad ſeptuageſimum quartũ annum, ut omnes vident, fęliciter produxi. ab hoc nũquam abducar, ſperans eam ad centeſimũ producturus. Sed nunc mihi illud de Clodię horologio in mentem redit: nam cum Alfonſum Ferrarię Pr. Venetias, cum is eam Remp. ſuperio-

ribus

ribus menſibus viſeret, cum cęteris nobiliß. viris comitaremur. noſter ordo clodiam pręmiſſus eſt, illic eum poſtea expectaturus. poſtridie eius diei, quo clodiam appuleramus, longam horam, vt otioſi hoſpites faciunt, Vrbem obeundo, templa viſendo, forum illud longiß. ſępius conficiendo famem, ne dum prandium nobis comparaueramus maximam. cum tamen comites forum arare pergerent, tum ego iam pridem languido ſtomacho, ecquando nos pranſum recipimus? tum vnus eorum, qui ſemel in tribus diebus, vel pullum hirundineum in cibum ſumit, nimis cito eſt, inquit. nondum enim ad Horologium Clodię decimaſeſta hora ſignificata eſt. Tum ego haud leuiter commotus, ergo ego famem meam ad Clodiæ horologium ſuſtinebo? non meo ſtomaco, ut poſtulat obtemperabo? non faciam, ut quiſque velit, vel ad Diui Marci ſuam ſuſtineat. ego eo, atque ita me domum conuerti. cæteri conſequuntur, vno illo excepto, qui heſternam hirundinem nondum concoxerat. quique adhuc in foro cum ſua illa cruditate laxiſſime ambulat. Sed heri apud vos nuſquàm mihi perfugium datum eſt. nam ad publ. hoſpitium, qui melius ruri? ad Coquium ne iuerim, & recens congreſſus, & veſtri ratio valde prohibuit. Sed ò te prudentiſſimum Cananium, qui tibi ab iſta media optime cauiſti, cum Ferrariæ ad tuos remanſiſti, vbi

 parum

parum, multum (ut libuit) in uictum ſumpſiſti. Ego ſolus penas dedi, qui idem efficere poteram, ſi id animaduertens, in meo manſiſſem Quartiſano. ſed ſatis de iocis. ſerius, quod reſtat. illum noſtrum meo nomine rogabis, ut mihi, quod ſępius ante, poſtremo etiam heri, in illa noſtra, quam vidiſti millies repetita ambulatione promiſit, ſemel tandem aliquando pręſtet. atque ita, ut neque ego illi amplius negotium faceſſam, neque ille mihi ſemper defuiſſe videatur. Vale, atque Coquio ſuauiſſ. Viro ſalutem plurimam. Ex meo Quartiſano.

B. R. BENED. MANZOLIO. S. D.

TVAS ruſticas literas legi. de cæteris corã. de tuo autem illo vappa. permirum mihi riſum excitaſti. audieram aliàs de alijs. ſed minutorum hominum hoc eſſe putabam. neque ſua debilitate tot graduum ſcalas aſcendere, ſuoque haud bello ſapore ſuperbis, atque nobiliorum menſis excludi prorſus rebar. Sed nunc in tali caſu ad illum amicum eſt confugiendum. cuius cella niſi Tuſcanis, Gręcis, Turbianis, cęteriſque eius generis nobiliſſ. vinis reſeratur. Quem videor videre illo ſuo lætiſſ. vultu, & totã cellam pateſacere, & conuiuas multo etiam menſa accipere lætiori, quam tamen nunc arbitror

ex Cardinalis morbo grauiſſimum veternum occupaſſe. cui ſalutem ſempiternam, vide ne meo nomine omittas dicere. non enim illi ex eius Tuſco puncto breuiorem debeo. cui quod nunc viuo, atque ita tecum iocor, totum acceptum refero. Ego interea vindemiam abſoluam Quartiſanã, non autem Mutinenſem, ſed eam tamen, qua familiam alam. poſtea ad uos dulciß. ſodales accurram. Quantum Cardinalis febris ſe remiſerit, quod multum expecto: ſi ad me ſcripſeris, gratiß. mihi feceris. multo etiam gratius, ſi eã totam in malam crucem abijſſe ſignificabis. Vale Ex meo Quartiſano III. No. Sept. M D LXI.

B. R. BENED. MANZOLIO S. D.

TOTOS iſtos Baurienſos dies tibi facile concedo, quos autem in Ariſt. Problemmatibus diſcutiendis poſuiſti, etiã valde gratulor. illud vero biduum, quod cum Herc. Contrario noſtro apud Coquium egiſti, non ſatis poſſum inuidere: omitto enim, quòd delicatiß. atque opiparam menſam habueris. mantilijs puris, non autem pampinorum folijs ſtratam. non illud inſulſum vinum, varium, horridum, nulloque pado mitigandum, ſed ſua ſponte & guſtu, & odore, & colore ſuauiß. non hæc inquàm recenſeo, quib. vel centum ieiunij damna

facta reſarciri poteram, ſuauiſſ. illis ſermonib. quos de rebus iucundiſſ. habuiſtis, non poſſum ſine dolore caruiſſe. Ego tertio die, ut à te diſceſſi, ad vrbem redij, equas interea ad trituram expectans. poſtridie autem ecce tibi coquius mihi fit obuiam, continuo, mutua dicta ſalute, de ſuo ruſticatu illum percontor, ut ualeas? vt crebro vnà ſitis? recte inquit omnia: biduo meus hoſpes factus eſt, quo Herc. Contrarius mecum manſit, ſuum Comitatum prorſus deſerens. pupugit me, ingemui. ſine me? ſed cum rus rediero hāc iniuriam probe ulciſcar. interea. Vale.

B. R. BENED. MANZOLIO S. D.

CVM nudius tertius ad Aloy. Ateſtium Cardinalem noſtrum ſatis multis diſputatū eſſet, qua ſcilicet forma libri apud veteres fuiſſent. quaq; eorū literæ cōplicarētur, ac quæ earum ipſarū literarum cùm intus, tùm etiam in tergo fuiſſet inſcriptio: ſcis me in paulo longius tempus meam de ea re conſultationem diſtuliſſe. Vt igitur eo die domum redij, libros, vnde id eruere poſſem, verſare cœpi, in qua mea indagatione partim argumentis, atque rationibus, partim auctoritate, atque teſtimonio in eam ſententiam veni, ut quod ad libri formam attinet, eam veterum fuiſſe, quæ noſtra quoque eſt

exiſtima-

exiſtimarẽ. Continuo.n. mihi ex ſimili ſuccurrit, codex accepti atq; expenſi, qui negotiatorũ liber erat. Hic igitur codex plurimarum erat, ut ex eius uſu conijci poteſt, cartharum ſimul unà coniunctarum. huius autem ratio talis erat, vt in primi folij ſecunda pagina, quod expenſum eſſet, unde expenſi nomen factum, ſcriberetur, in prima vero ſequentis folij, quod contra reciperetur, quod Latini dicebant, acceptum referre, reponi ſolebat. quàm ſcribendi rationem vulgo noſtri ratiocinatores, qui veterum more negotia ſua ſcripturæ mandant, appellant. il dar, e l'hauere. Qua ratione ad codicis noſtri rationem, quoque codex compactus fuiſſe planius probari non poſſet. Cum codicibus ſybillini libri conſentire videntur, qui cum in rebus dubijs conſulerentur, vt forte aperiebantur, eo in loco (ut ferunt) preſto conſilium offerebant. quod ſi ita eſt. magis omnino ij libri conglutinati, quàm conglobati fuiſſe videri poſſunt. His codicilli quoque accedunt, qui ex ligneis tabellis gipſo ſuperlitis fiunt. quæ quidem ſimul unà ex inferiori parte, ut chartæ in noſtris fiunt libris, æque erant conglutinatæ. ut Cardinalis noſtri tabulæ, qui bus certa nauigatio diſtinguitur, mirifice, & factæ, & optime conglutinatæ ſunt. quorum codicillorum forma ad librorum noſtrorum formam propius accedere non poſſet. in quam

meam

meam ſententiam id quoque conijci poteſt, quod nulla veteris codicis formæ fit à ſcriptoribus mentio. nam ſi ab hac noſtra alia, atque diuerſa fuiſſet, omnino aliqua, ut de cæteris rebus, extaret memoria. Sed rem ipſam non iam rationib. atq; cõiecturis, ſed veterum etiam teſtimonio magis comprobemus. Cicero igitur ad Att. in hanc meam ſententiam inquit. offendes deſignationem Tyrranionis mirificam, meorum librorum bibliothecam, quorum reliquię multo meliores ſunt, quàm putaram: etiam velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tiranio utatur glutinatoribus. vbi vides librarios glutinatores nihil aliud eſſe, niſi qui membranas inter ſe coniungunt: puta quos nos vulgo ligatores appellamus. ſiquidem glutinare eſt rem rei adiungere, vnde etiam gluten, quo quid cum aliquo coniungitur. Ciceroni vero locupletiſs. teſti Catullus quoque, qui eiuſdem ætatis fuit, teſtis non peſſimus accedit, qui rem hanc multo planius in Suffenum expreſſit. hic enim malum iſtum poetam irridens, quòd nimis delicate verſus inſulſos, atque ineptos regijs carthis ſcriberet, atque elegantius conglutinaret, propè noſtram hanc formam deſcribit. eius autem verba hæc ſunt.

Idemquè longe plurimos facit verſus.
Puto eſſe ego illi millia aut decem, aut plura
Perſcripta, nec (ſicut fit) in palimpſeſto

Relata. cartha regiâ. noui libri.
Noui umbilici. lora rubra, membrana
Diſſecta plumbo. & pumice omnia æquata.

Quibus verbis noſtri libri forma (ut nunc eſt) planius deſcribi non poſſet. ut etiam umbilico, atque loris eam ornet, atque leuiſſimo expoliat pumice. non negarim tamen ſuperioribus, iisque rudioribus ætatibus, ut quę in papiro, quę in folijs, quę in cortice ſcribebant, vix tantum alteram paginam implentes, magis ſcriptorum inuolucrum eſſe comprobatum, in qua forma etiam adhuc apud nos multę veterum tabulæ leguntur. in primis autem Bononię in Diui Dominici ſacrario vetus (ut dicunt) teſtamentum in corio hebraice ab Eſdra (ut fertur) ſcriptum reuerenter viſitur. Hactenus quod ad libri formã. Iam habe, quæ literarum fuerit forma, quę tamen magis conijci, quàm re vera explicari poteſt. Hæ igitur quoque magis complicari, quàm inuolui ſolere videntur. vt Cic. ad Att. vbi ait. cum complicarem hanc epiſtolam noctu Abundus ad me venit. item. cum hanc epiſtolam complicarem, tabellarij à vobis venerant. vt omnino aliud eſſe videatur complicare, aliud conglutinare. vt hoc ad libros, illud ad literas aptius accommodetur. vt etiam magis explicare de literis, euoluere, autem de libris, ſiue longiorib. atque perpetuis voluminibus vſurpetur. vt itẽ

Cic.

Cic. teſtatur ad Att. euolui, inquit, volumen tuarum literarum, id eſt, ut ego exiſtimo, multas, non autem unas tuas literas euolui. Neque huic meę ſententiæ illud obſtiterit, quòd faſcem, & faſciculum literarum, & conycere literas in faſcem, atque in faſciculum Latini dicant, quando faſcis earum rerum, quæ oblongę, non autem quadræ ſunt, magis quidam eſſe velint: quis. n. neget rectè Latine etiam dici, et paleę, & herbæ, & florum faſcem? atque faſciculum? ad quarum rerum formam, & librorum etiam, & literarum faſcem rectè uſurpari poſſe, nunquàm negarem. vt literæ, quemadmodum libri magis in plicas, quàm in ſpiras complicari videantur. Paucà hęc de literarum forma. De earum verò utra que inſcriptione multo plura conſequuntur. ac ſtatim de ea, quæ in tergo fit, de qua nullum quidem verbum (quod ego viderim) legitur, quo affirmari poſſit, quæ eius ratio fuerit, tantum. n. ad eam deprehendēdam coniecturis ducimur, ut aut nulla, aut eadem cū interiori fuiſſe dicatur. quòd nulla, id certi tabellarÿ probare poſſunt. Pr. n. ciues (ut nihil dicam de Regibus) multos proprios ſeruos, qui tabellarÿ munere fungerentur, habebant. ut in quanque partem eodem etiam tempore literas commode mitterent. quod quidem fieri ſolet, cum de re grauiſſima agitur. vt ille ad Catilinam. Qui ſim, ex eo ſcies, qui tibi

bi has literas reddidit. nam ſine nomine eæ ſcriptę erant literæ. id quod etiam multifariam faciebant, aut enim literarum loco ſigna ponebãt, aut ſi literis ipſis id faciebant, aut alienis utebantur, ut Græcis. ſi vero ſuis, loco b. c. ita loco c. d. atque ita deinceps uſurpabant. vt C. Iul. Cæſar. factitauit. Auguſtus vero tertiam loco verę collocabat. quæ non uera ſcribendi ratio, hac noſtra tempeſtate apud Pr. noſtros ſummo in uſu verſatur. Quod autem obijci poteſt, ſi tabellarius in manus inimicorum incidiſſet, ex literarum inſcriptione facilius eas aperiri poſtea potuiſſe, cum ſcirent, & à quo, & cui ſcriberentur, ut eorum conſilia deprehenderent, reſpondeo, multo auidius id facturos in ijs literis, quibus nullum inſcriptionis in tergo verbum legeretur. quia eo modo maiorem magnæ alicuius rei ſuſpitionem inijcere viderentur. ut omnino ego ſentiam, eas ſua nulla inſcriptione caruiſſe. Quare ſi id, quod veri eſt ſimilius, vt omnino inſcriptionis nota apponeretur, quæritur poſtea. quænam ea fuerit? nam ſi quę intus quoque legitur, duplex erratum accuſant. alterum in repetitione, quando alterum ſuperuacaneum eſt. alterum quod in periculum literas adducit, ne (ut dicebã) cũ à quo, atq; cui mittãtur, ex inſcriptione cognoſcetur, vt interceptæ erunt, cõtinuo aperiantur, atque perlegantur. cui rationi quo

niam

niam paulo, ſupra ſatisfactum eſt, nunc alteri, idque quàm paucisſ. ſatisfaciam. Nullum inquã in ea repetitione errorem eſſe. quando nihil in ea ſuperuacare videatur. nam quod foris eſt. multis id de cauſis recte apponitur. in primis aũt ſi tabellario in via excidiſſent, vt qui eas reperiſſet, cui redderet, inſcriptione ipſa admoneretur. prӕterea vero ſi plures eſſent, cui quæque veniret, ſtatim ex inſcriptione cognoſceretur. quare ego putarem vel ſimplici inſcriptione hoc modo P. Lentulo. C. Cӕſari. M. T. Ciceroni. vel etiam præpoſito, qui ſcribit. ut M. T. Cicero P. Lentulo. S. D. & Cn. Pompeius C. Cӕſari S. D. fuiſſe maiorum literas foris inſcriptas. Nam ſi ita ſit, ut aut ſublata, aut appoſita inſcriptione, literæ in periculum adducantur, ne deprehenſæ aperiantur, atque perlegãtur, uſus ſcribendarum epiſtolarum prorſus tolletur, fietque potius per nuntium hec ſignificatio. quod tamen tantum abeſt, ut fiat, ut perpetuo is magis apud omnes omnium gentium homines ſeruetur. vt neque noſtri quicquam, vel in publicum faſciculum, ſiue Romam, ſiue in Galliam, ſiue in Hiſpaniam, in Germaniam, ac quò uis aliò gentium ſuas cum ſua extrinſeca inſcriptione conijcere vereantur. Sed iam de ea, quæ interius fit, eſt quod etiam aliquid attingam. hanc ego conijcio initium epiſtolӕ apud veteres

fuiſſe,

ſuiſſe, & ſi noſtri illam prorſus ſcriptione ab ea ſepararint. quod autem ita exiſtimem facit Cic. ad L. Valerium, quæ primi familiarium ultima libri eſt epiſtola, cuius initium tale eſt. M. T. C. S. D. L. Valerio iuriſconſulto, cur enim in hoc tibi non gratificer? ubi conſtat verbum gratificer referri ad iuriſconſulto, quo ſublato, nihil aget, fruſtraque poſitum erit. ut item ad Tironem, cũ ait; Tullius Tironi S. D. Quid igitur, non ſic oportet? equidem cenſeo ſic.adendum etiam ſuo. nam cũ Cic.hoc modo nimis familiariter,ac quaſi vir conſularis nimis demiſſe cum liberto agere, accuſaretur, qui ſine prænomine atque cognomine, hoc eſt ſine dignitate ad eum ſcriberet,illi accuſationi hoc epiſtolę initio ita occurrit. Tullius Tironi S. D. quid igitur? non ſic oportet? vbi vides totam orationem à ſuperiori Tullio pẽdere,quam vocem ſi tollas, quod ſequitur etiam ſuſtuleris. ſentiant alij, quid velint, hoc in loco mea hęc eſt ſententia. ſed neque huic noſtræ ſententiæ, id quoq;non conſentit, quod eſt in tertio lib. ad Att. vbi ait. Cic. ſalut, Q. Cęcilio Q. F. Pomponiano Attico. Quòd quidem ita eſſe, & auunculum tuum functum eſſe officio vehementiſſime probo, ubi vides totum hoc membrum ad illud Q. Cæcilio, Q. F. Pomponiano referri, probat. n. Cic. Q. Cæcilij Attici auunculi adoptionem, qua Pomp. Atticum ſibi adoptarat. vt

hinc quoque ſatis conſtare videatur ſalutem di-ctam, quod noſtri prorſus ab epiſtola ſeiunxere, omnino apud ueteres cum eam coniunctam fuiſſe. Hæc habui Manzoli doctiſsime, quæ de librorũ, atque literarum forma, earumque utraque in-ſcriptione ad veterum rationem ad te ſcriberem. quæ ſi tibi probabuntur, tum me recte ſenſiſſe iu dicabo. ſin ſecus, mihi gratiſsimum feceris, ſi quæ tua ſententia erit, mihi perſcripſeris. Vale.

PETRO BENENTENDIO. BER. BERGONTIO. PAVLO LEO-NIO IVDICIB. B. R. S. D.

CRISPINIVS *Lucretiæ Galliniæ* M. *nomine apud collegium veſtrum HS.X. plus minus, ad noſtram autem ratio-nem. M. libras à me dotis nomine petit. à quo cũ ego de more, ut mandatum, cuius virtute id à me petit, proferat, atque utrum earum tabu-las, quas protulit, veras, ac ratas probet? neu-trum cogi poteſt, ut faciat, idque quamobrem non faciat, belliſs. hac fallaciola defendit. aut. n. iſte inquit, cauſam uincam. ſi tum poſtea man-datum non oſtendam, fruſtra vicero. Si ab ea cadam, vos viciſtis. vafrum dilemma Iudices: callidum inuentum. ego vero huic meum hoc ve*

rius

rius oppono: aut enim hic prorſus inſanit, aut vos palàm irridet. inſanire autem eum, qui ingentes clientum greges in cauſis ſuis quotidie tueatur, quis unquàm dixerit? ſequitur ergo, vt vos, veſtramque auctoritatem deriſui habeat, quod quo animo ferre debeatis, veſtrum eſt iudicium. Audiſtis autem vnquam cauſam venuſtiorem afferri? vidiſtis vnquam procuratorem meliori fide cauſam ſuam defendere? ò acutum, atque argutum defenſorem, qui quod de more omnium gentium fit, tam inſolenter ſe facturum neget. quid putatis iſtum facere Iud. in ijs rebus, quæ aliquam veri ſimilitudinem habere videntur, cum in hac, quæ manibus tenetur, tam inſolenter ſe tueri conetur? quis enim neſcit, ſi hic iſtas ſuas tabulas, de more, non probet, aut agendi mandatum non proferat, cum cauſa ceciderit, qua ſe omnino caſurum videt, tum mulierem, vt negarit huic ſe quicquam tale mandaſſe, nouum iudicium mihi eſſe comparaturam? immo vero eò hoc omne ſpectat, quoniam nullam iſte ſpem in cauſa habet, vt me non ſolum in hoc iudicio, ſed in quibus etiam alijs poſſit, & omni ſumptu, & moleſtijs omnibus oneret, atque excruciet. quare vos rogo Iud. non vt iſtum hæc præſtare cogatis: quod ſcio vos veſtro iure facturos: neque vt dignitatis veſtræ rationem habeatis, quam vobis ſcio eſſe chariſſimam: ſed vt hinc

quoque iam cauſæ meæ præiudicium facere incipiatis. vt cum eò ventum erit, vt de ea ſententiam feratis, hoc quoque cauſæ meæ honeſtatem adiuuet. pro qua ego quoque ſatis iuſtam orationem habiturus ſum. in qua ſpero vobis ita hoc genus hominum exprimere, vt ne vmbra quidem ſua ſit vlla cariturum. interea valete, atque, quod facitis veſtris æquiß. ſententijs æquum, rectumque tueamini.

B. R. LVC. PAGANVTIO. S. D.

SIGNAE *noſtro duas, quas ſupplicationes dicunt, nudius tertius dedi, atque de meliore nota commendaui. idem coràm tecum facere non potui, hoc nunc, vt vides, per ſchedulam facio. quæ tamen (quæ tua ſumma eſt humanitas) quin vim maximæ commendationis habeat, nihil diffido. eas igitur tibi etiam atque etiam commendo. hæ eorum amicorum ſunt, pro quibus mihi magis, quàm ſi meæ eſſent, elaborandum eſt. nam ſi res protrahatur, quãdo de impetratione nihil dubitant, magis me negligentiæ accuſabunt, quàm uos mihi parum amice ſtuduiſſe, iudicabunt. quare in veſtra manu poſitum eſt, ut probetis, me meis, voſque mihi nihil defuiſſe; quorum vtrum magis nolim, nõ facile dixerim. certe vtroque opus eſt, quare etiã*

vtrunque vos rogo, atque oro. hoc eſt, vt omnem operam detis, vt in prima ſubſcriptione abſoluamur. pro quo veſtro iſto gratiß. officio, mecum illos vobis in perpetuum obſtrinxeritis. Vale.

B. R. SPER. SPERONIO. S. D.

VIDEO quàm prudenter, atque adeo pudenter nicoleti tui cauſam mihi commendas, qui id potius miſeri eius parentis commiſeratione motus facis, quàm quod illum ipſe quoque non facile condemnes, qui tantum facinus in tantum Principẽ admittere ſit auſus. cũ puerum, quaſi obſidis loco datum, mercede pacta ei ſuffurari ſtuduerit. At patriæ reſtitutio, quæ illi propoſita erat, quæ omnium rerum cuique chariſſima eſt, id eum videre non ſiuit. at, vt id omittam, quod fruſtra ea promiſſa eſt. vetus ſcelus, quo patria deſideratur, hoc recens multo maius efficit, quo is ſe facile probat, in turpiter agendo non ſemel eſſe verſatum. ſed eius tamen fortuna eum ſaluum etiam vult, nam ſi in quemuis alium Pr. id admiſiſſet, prius de eius ſuſpendio, quàm de carcere, audiuiſſes. ſed noſter ea clementia eſt, vt ſua cauſa neminem capite puniri iubeat. quare de eius ſalute non videor dubitare. longior carceris diuturnitas ſupplicij loco eum torquebit. ſane prętor affirmat ſe qui de illo poenas ullas ſumat, nullo

iure cogi. Quod vero nunc Principem eo nomine adeam, temporis ratio ferre non videtur: nimis enim culpa illa eſt recens. magis placet, ut temporis longinquitas, quæ omnes animi perturbationes mitigare, ac ſedare ſolet, hanc quoque cauſam adiuuet. cum ſe prima occaſio obtulerit, ne nos aufugiat, probe curabitur. teque poſtea de tota re certiorem faciam. Interea expecto de Frigimelio. Pigna Alphonſi Principis mei a ſecretis factus eſt. Is nunc cum eo Mutinam proficiſcens, ſuo nomine vt te ſaluere iuberem, iuſſit. Vale.

B. R. IAC. RVFINIO. S. D.

IDEM meis orationibus, quas tibi miſi, (vt ſcribis) quod tuis, quos mihi miſiſti, verſibus euenit, accidiſſe video: nam vt tu eas Rhamnuſio filio legendas tradidiſti, neque poſtea vnquam tibi ſunt redditę; ita nos vt eos Borguntio optimo iuriſconſ. ac Principis noſtri conſiliario, qui legeret, dedimus: cum etiam dum repeterentur, nunquam tamen ſunt remiſſi. ex quo facto ſi tu orationes meas probari iudicas, pari ego ratione tua carmina minime improbari exiſtimo. quod ſi ita eſt, Deo utrique gratias agendum eſt, à quo id boni cum cæteris bonis in nos profectum eſt. ſi vero contra, nihil tamen propte-

rea

rea eſt, quod à ſcribendo deterreamur, quando etiam cẽteſimis ſuus aliquis honeſtus locus detur. hæc vero de meis orationibus, ac tuis verſibus. Quod ad Rufinium nomen tuum ad ueterũ rationem, vt omnibus ex noſtra epiſtola ad Herculem Ateſtium comprobauimus, Rufinium: non autem Rufinum ſcribere debes: vtrum vero unica, an geminata ſ, nihil laboro. Ioannem Bononium ægrotare, moleſtè fero: ſed me conſolatur, quòd febrim non grauem eſſe, eamque in dies leuiorem fieri, ſignificas. De Rapicij ſcriptis tibi gratias ago. ego quod tibi nouum mittam nihil habeo de meo: habe tamen endecaſyllabum, quo mecum Flaminius paulò ante, quàm moreretur (vt vides) iocabatur. Vale.

M. ANT. FLAMINIVS.

AD BART. RICCIVM.

AH, iam rumpe ſilentium iocoſe
Olim, nunc nimium ſeuere Ricci.
Num tu ſic veterum flagras amore,
Vt Tulli puta, Cæſariſque, uiuos
Vt iam pro nihilo putes amicos?
At hoc Tullius improbat, iubetque
Te ſui cupidos habere charos.
Nec ſolum cupidos ſui, ſed omnes
Quos virtus aliqua, probique mores

Adiunxere tibi. Sed heus amice
Quid rerum geritur? notare pergin'
Quicquid ad proprie, eleganter, apte
Loquendum valet? ac beare lingua
Nos prædiuite? id eſt latinitati
Suos reddere priſtinos honores?
Quare per Ciceronis, & Terentij
Manes te rogo. perge, finibusque
Pelle barbariem Italis: latinæ
Linguæ te veneremur vt patronum.
Vale Ferrar. idib. Iunij.

B. R. IAC. RVFINIO. S. D.

HIC dies octauus eſt, cum tecum apud te cænaui, atque dormiui. ò Cœnam, atque noctem illam ſuauiß. ſermonibus conditam, atque peractam. vtinam ſaltem ſingulis annis eam renouare poſſem. ſed magis vereor ne vltima ſit futura, quando neque per longam uitam, multo vero etiam minus per ætatem, iam valde ingraueſcentem, id mihi licere video. Sed ipſe ultro hoc officium præſtiteris, qui omnem uitæ ætate facile es ſuperaturus, hoc eſt, ſi me ſæpius reuiſeris, ſaltem ad illum celeberrimum diem, ut mihi recepiſti. Sed non ſine Roſſio, atque Bertonio ſuauiſſimis comitibus, quorum alteri ego ſcribo. ipſe alteri meo nomine ſalutem dixeris. idem

cum

cum Hiero. Auetario, Cautio, Fabrio atq; Strungonio facies. Baldo uero uiro omnium vrbaniß. omnia à me polliceberis, cui ego nuſquam ſum defuturus. neque dici poſſet, quàm moleſte tulerim, me illi in cœna morem gerere non potuiſſe: dies enim diſceſſus inſtabat. quique me comes Patauij commorabatur, parum abfuit, quin pridie ſolus diſcederet: his Pomaranium ſenem illum facetiſſimum adiunxeris. qui me tamen de mille ſcutatis aureis non plene amauit. Vale.

B. R. BAR. BERTONIO. S. D.

TERTIO die, quo à te diſceſſi, domum T... perueni, via facillima. cælo ad ſolis ardorem ſubnubilo, mulla vero, quam ſcis, gradaria, quæque leniſsimo graditur ſuccuſſu. cætera omnia læta, lætiſſimi ſermones de te, ac cæteris ſodalibus fuerunt. niſi quòd meus comes gutturis anguſtia ſublaborabat, qua re impediebatur ad mutuo reſpondendum. ſed eius aures mihi ſatis erant ad ea audienda, quæ de tua, atque tuorum ciuium humanitate, quo me ſcilicet hoſpitio accepiſſetis, atque certatim lautiſſime tractauiſſetis, in toto itinere prædicabam. nobiliß. prandia, cœnas dubias, ambulationem ſecundum aquilam, villarum ameniß. obitionem, ad Tris villas, vbi optimus adoleſcens nos tam ruſtice accepit,*

vt nẽ videri quidem voluerit, etſi is recte quidẽ, quando ipſi villam, non autem eum, viſuri acceſſeramus. in Paradiſo à meis Cornelijs certe liberalius cùm à patre, tùm etiam à nobiliß. filijs ſumus accepti: de illo meo veteri hoſpite nihil dico. Galleram poſtremò ad Capellum tuum venimus. vbi perquam familiariter à quatuor illis Gigãtibus accipimur: credo ſi ſcalas aſcendere, atque cubiculorum hoſtijs capi potuiſſent, nos per omnes uillę angulos duxiſſent. & me Hercule villa eſt belliſſima, atque ſplendide ædificata, quæque cum amplißimis urbium ædibus facile cõtendat, atque ſi paulo latiora habeat cubicula, eas etiam ſuperet. Sed humanißimi eius villici facilitas illam maximè ornat, cui meo nomine ſalutem poſt gratiarũ actionẽ latine etiam repetitam, dixeris. Si uobis de Tiena morem gerere potuiſſem, omnia fœliciter abſoluiſſemus. ſed nimis longe aberat, uia ſaxoſa, ego uero de ſuperiore ſatis eram laſſus. ſed cum ad lacum Benacum proficiſcemur, eò declinabimus. Auetarium meo nomine plurimum ſaluere iubebis. Roſſio uerò ſororis tuæ uiro dixeris, me ſuas qualeas literas Ferrariam contuliſſe, quas ille urbis Patauij ianitori reddendas tradiderat: quid facias? ſatis habeat, quòd calcaria reddidi. gratias nullas ago de eius ad tantã viam comitatu, id enim cum ipſe à me diſcedet, ſum pari comitatu redditurus. quare ad di-

ctum

ctum tempus te cum illo, atque Rufinio noſtro expecto. Vale. Ferrariæ.

B. R. IO. RONDANELLIO S. D.

MITTO tibi, quæ in Vallæ defenſionem *aduerſus Alciatum nuper edidi: neque id ea ratione mitto, ut à me Vallam defenſum eſſe, intelligas: ſed ut hoc te modo patris tui ad eiuſdem viri defenſionem edendam inuitem. hanc igitur meam inuitationem accipe, atq; opt. viri parentis tui ſuo lumine nomen illuſtra. atque ex denſiſsimis tenebris in hanc lucem reuoca. hoc ei nihil ſplendidius, tibi vero, ac poſteris tuis dignius, facere potes. Vale.*

B. R. FRAN. CORNELIO. M. ANT. FILIOLO. S. D.

M. COR. *Propinquus tuus mihi refert, te iſtius ætatis in literarũ ſtudijs iam eos progreſſus feciſſe, quorũ neq; grandiorem natu pœniteret. Quare valde tibi gratulor, mihique gaudeo, quòd meis fideliſs. monitis obtemperaris, qui quoties iſtic apud patrem tuum, meum multorum annorum diſcipulum eſſem, te hortari non deſiſterem, ut in hiſce noſtris ſtudijs, vt faciebas, pergeres ardentius inſiſtere,*

quæ

quæ ſtudia etſi ſuapte natura, atque ſumma delectatione, quæ ex iis percipitur, quenque ad ſe conſequenda, facile trahunt, tibi tamen ſeparatim patris tui patruellis filius accedit. habes enim Iacobum. Geor. F. qui ad iſtam ſummam virtutis gloriā tecū æque contendit. in qua contentione tibi videndum eſt, ne te antecedat. audio.n.eum quoq; huc omnes neruos, atq; omne ſuum ſtudium contendere. vt uter utri præſtet. vtrique elaborandum ſit.ſed ut ætate, amore, atque familiæ dignitate pares eſtis, ita ne in ſtudiis alter alterum ſuperet, optime prouidebitis. vt ille in rep. Romana, ipſe vero, in tua Veneta excellatis: atque in utraque ſi maiores veſtros non ſuperetis, ſaltem uterque exæquetis. parenti tuo, atq; Ariadnæ Auiæ tuæ meo, atque vxoris meæ nomine ſalut. plurimā dixeris. Vale.

B. R. IACOB. COR. GEOR. FILIO. S. D.

AVDIO de Marco Cornelio Spalatrenſi primario antitiſte, idque mea cum ſumma voluptate audio, te in noſtris ſtudiis mirum in modum profeciſſe, refert enim cū in Latinis, tum etiam in Grecis literis iam eam ſcientiam te puerū habere, quæ in viro natu grādiore ſatis eſſe poſſet. id quod ego primum ita tibi gratulor

tulor, atque filio facerem meo. nam Georgium patrem tuum virum optimum, cum iſtorum eſſet annorum, ego vero Aloyſium Cardinalem, ac M. Ant. eius fratrem, patris tui æqualem decem annos eadem in domo docerem, eodem amore pro eius bonitate, quo meos diſcipulos facerẽ, ſemper ſum proſecutus. quare eius etiam filijs nõ poſſum non omnia optare, quæ illos ad ſummã gloriam breui ſint elatura. te igitur hortor, moneoque, ne ab inſtituto curſu quoquã deflectas. neque de tuis optimis ſtudijs, quàm quantum ſatis ſit, ad æquam animi relaxationem, quicquam amplius remittas. In memoriam tibi reuocarem, ex qua nobiliſſ. familia natus eſſes, quæ non ſolũ multos Cardinales, ſed Venetos Princeps, atque Cyprias Reginas protulit: quorum ſtimulo ad ueram gloriam ardẽtius incitareris. ſed eſſet (quod dicunt) currenti calcar. Hoc unum non omittã, ut te etiam, atque etiam adhorter, ut ad rerum cognitionem eloquentiæ quoque ſplendorem adiungas. rerum quidem omnium ſcientia in omnib. ſtudijs facile præcellit, ſed eam ſuo ſtilo ornate, ſplendide, copioſe, ac unum quodque pro ſua natura explicare, in maxima laude poſitum eſt. Hæc una dicendi virtus eſt, quæ in contionibus, ad Iudices, in Senatu dominatur. cum neque etiã in familiariter cum amicis agendo, non ſuam magnam habeat dignitatem. ſcribunt quidem om-

quæ ſtudia etſi ſuapte natura, atque ſumma delectatione, quæ ex ijs percipitur, quenque ad ſe conſequenda, facile trahunt, tibi tamen ſeparatim patris tui patruellis filius accedit. habes enim Iacobum. Geor. F. qui ad iſtam ſummam virtutis gloriã tecũ æque contendit. in qua contentione tibi videndum eſt, ne te antecedat. audio.n.eum quoq; huc omnes neruos, atq; omne ſuum ſtudium contendere. vt uter utri præſtet. vtrique elaborandum ſit. ſed ut ætate, amore, atque familiæ dignitate pares eſtis, ita ne in ſtudijs alter alterum ſuperet, optime prouidebitis. vt ille in rep. Romana, ipſe vero, in tua Veneta excellatis: atque in utraque ſi maiores veſtros non ſuperetis, ſaltem uterque exæquetis. parenti tuo, atq; Ariadnæ Auiæ tuæ meo, atque vxoris meæ nomine ſalut. plurimã dixeris. Vale.

B. R. IACOB. COR. GEOR. FILIO. S. D.

AVDIO de Marco Cornelio Spalatrenſi primario antitiſte, idque mea cum ſumma voluptate audio, te in noſtris ſtudijs mirum in modum profeciſſe, refert enim cũ in Latinis, tum etiam in Gręcis literis iam eam ſcientiam te puerũ habere, quæ in viro natu grãdiore ſatis eſſe poſſet. id quod ego primum ita tibi gra

tulor

tulor, atque filio facerem meo. nam Georgium patrem tuum virum optimum, cum iſtorum eſſet annorum, ego vero Aloyſium Cardinalem, ac M. Ant. eius fratrem, patris tui æqualem decem annos eadem in domo docerem, eodem amore pro eius bonitate, quo meos diſcipulos facerẽ, ſemper ſum proſecutus. quare eius etiam filijs nõ poſſum non omnia optare, quæ illos ad ſummã gloriam breui ſint elatura. te igitur hortor, moneoque, ne ab inſtituto curſu quoquã deflectas. neque de tuis optimis ſtudijs, quàm quantum ſatis ſit, ad æquam animi relaxationem, quicquam amplius remittas. In memoriam tibi reuocarem, ex qua nobiliſſ. familia natus eſſes, quæ non ſolũ multos Cardinales, ſed Venetos Principes, atque Cyprias Reginas protulit: quorum ſtimulo ad ueram gloriam ardẽtius incitareris. ſed eſſet (quod dicunt) currenti calcar. Hoc unum non omittã, ut te etiam, atque etiam adhorter, ut ad rerum cognitionem eloquentiæ quoque ſplendorem adiungas. rerum quidem omnium ſcientia in omnib. ſtudijs facile præcellit, ſed eam ſuo ſtilo ornate, ſplendide, copioſe, ac unum quodque pro ſua natura explicare, in maxima laude poſitum eſt. Hæc una dicendi virtus eſt, quæ in contionibus, ad Iudices, in Senatu dominatur. cum neque etiã in familiariter cum amicis agendo, non ſuam magnam habeat dignitatem. ſcribunt quidem om-

nes, ſed pauci (mihi crede) ut decet, ſcribunt. in quorũ numero ne ſis, omni ſtudio, atq; omnĩ ſtili exercitatione contendes. id quod etiam à doctiſs. magiſtro tuo, qui nihilo minus in hac dicẽdi ratione, quàm etiam in rerum cognitione valeat, facile aſſequeris. Mitto tibi oratiunculam meam, non ut ex eius lectione quicquam doctior, aut elegantior fias, ſed ut hoc quoque amoris erga te mei teſtimonium habeas: ſi eam tibi gratam fuiſſe ſenſero, quotidiẽ aliquid eius generis à nobis expectare licebit. parenti tuo, atque Marinæ Auiæ tuæ primariæ fœminę meo, atq; Floræ vxoris meę nomine ſalutem plurimam dixeris. Vale. Ferr. X. cal. Mar. M D LX.

B. R. POMPILIO AMASEIO S. D.

ROMVLVM patrem tuum, cum viueret, amaui quàm qui plurimum, mortuo vero illi amori parem etiam memoriam præſtiti, quorum utrunque cum officijs, tũ etiam ſcriptis meis non ſemel teſtatus ſum: id quod iure optimo feciſſe me fateor, qui contra ab eo non vulgariter amatus ſim, neque quod aut ad meam dignitatem, aut aliquam utilitatem pertineret, quicquàm unquàm deſiderarim: quem mei erga illum animi tenorẽ ſum quandiu viuam retenturus. Quare quod ſuperioribus diebus

bus à me petiiſti, ut in eius epiſtolis, quas ſane multas eſſe dixti, perlegendis, tecum eſſe vellem, atque unà poſtac, quę utrique magis hominum lectione dignę viderentur, eas ad diuulgandum deligeremus. Ego Pompili nunc tibi filio, quod parenti tuo optimo mortuo debeo, omne meum ſtudium, atq; omnem operam, quando id iam polliceri nõ poſſum, libẽtiſſimo animo recipio. utinã vero meũ iudicium tale eſſet, quo præſtantiß. oratoris patris tui ſcripta recte cenſeri poſſent. multo enim cum meis ſtudijs rectius ageretur. Quoniam tamen ita tibi viſum eſt, me quoque adducis, ut aliquid de me, quàm à me facio, amplius exiſtimem. Equidem in ea lectione cum ſumma voluptate, tum etiam pari afficiar utilitate, qui intereà ſuauiſsimum patrem tuum, amiciſsimum meum, loquentem audire videbor, atque ex eius oratione, ut olim eius auditor faciebam, ſummũ fructum auferam. quare tuum erit iſti lectioni diem ſuum conſtituere, meum autem quod tibi recepi, ſi minus prudenter, certe, quod faciam, fideliter pręſtare. Vale.

B. R. IOAN. CEPALIO S. D.

CVM Patauij eſſem, meum Cardinalem Ateſtium ſequens, quo tempore ipſe Ticinum reuerſus es, in cauſa fuit, quo

minus

minus tibi, ut conſtitueram, meos libros, quos tecum perferres, darem. nunc vero, ut domum redij nihil antiquius habui, quàm ut eos tibi mitterem, ut ſub nouum iſtum auditorum conuentũ venales exponerentur. decem ſunt faſciculi, ſuo ſinguli certo numero ſignati. quanti autem unũquodque volumen indicandum, atque etiam vendendum ſit, eius librarij, cui ipſe vendendos dederis arbitrio, atque iudicio relinquimus. quos verò Aonio Mediolanum inſcriptos vides, eos illi cum his literis rectè perferendos curabis. ne bonitatem tuam, atque amicitiam noſtram offendam, tibi eorum reliquam curam nihil commendo. ſi tamen de more omnium faciendum eſt, hos ut meos fructus, tibi etiam atque etiam commẽdo: eamq́ue à te diligentiam expecto, quam ipſe ab alijs expectares, & ego tibi omnium optime præſtarem. Vale.

B. R. HERC. ATESTIO TASSONIANO NICOLAI FILIO S. D.

TVAS literas accepi, quæ mihi ſua elegantia iucundiſſimę fuerunt. ſed eo etiã multo iucundiores accidere, quod ex eis intellexi, me à te non leuiter dilegi. qui mihi propè non paruæ ſummam pecuniæ exegiſſe videris, quando

quando id à patre obtinuiſti, quo uno impetrato, nihil prçterea ad eius exactionem opus erit. id, quod etiam in futurũ mihi liberaliter polliceris, quod ego libenter accipio, atque nunc pro utroque tibi immortales gratias ago, aliquam etiam cum uſus venerit, relaturus. Nam quòd nomẽ tuum meis literis cum cçteris claris viris illuſtrari ſperas, minime falleris, ſi modo ea ſint mea ſcripta, quç ad tantum tuum ſplendorem, quem iſta adoleſcentior ætas præ ſe fert, aliquid luminis addere poßint. Certe in tua iſta benigne faciendi ratione prædicanda, atque celebranda nuſquam deerunt. Sed redeo ad earum elegantiã: equidem Taſſoniane te in noſtris ſtudijs aliquid profeciſſe, ut qui à doctißimo, atque politiſſimo noſtro Sebaſtiano Briccio magiſtro tuo inſtitutus ſis, facile exiſtimabam, ſed nunquam tantum omnino, ſubuereri cogebar: idque ex ea rerũ omnium, quibus abundas copia, in quibus rari admodum reperiuntur, qui tantum proficere ſoleant. Quare tibi gratulor, quòd iſta quoque ſtudiorum noſtrorum dignitate, non parum ſis auctus, teque hortor, ut in ijs (ut cæpiſti) acriter inſiſtas. in quibus mihi crede tantam voluptatem es capturus, ut hunc laborem natu grandior nuſquam alibi poſuiſſe maluiſſes. Illud addas, quod tua iſta ſumma rerum copia, tuç locupletiß. fortunæ per ſe quidem ſplendidæ

ſunt, ſi ad virtutem inſumantur, ſed fluxæ tamẽ atque caducæ. ſi vero iſtorum ſtudiorum nobilitas accedat, illæ quaſi Adamas in auro illigatæ videbuntur. præter quàm quod iſtis ipſis in primis ad immoralitatem via comparatur. Perge igitur, ut cœpiſti, ut, cũ rerũ copia multis prodeſſe poſſis, ne tibi his optimis ſtudijs ad iſtam immortalitatẽ defuiſſe videaris. Parenti tuo meo nomine poſt ſalutem plurimam, etiam gratias ages ingentes, cuius beneficio, quanto ego commodo auctus ſim, ne expecta dum dicam: id tantum dicam, eius memoriam mihi nullam unquam obliuionem eſſe delituram. Vale.

BARTH. RICCII LVGIEN. EPISTOLARVM LIBER III.

B. R. BAR. CAVALCANTIO S. D

RETHORICAM *tuam, Italico ſermone ſcriptam, ego auide expecto: &, ut audio, hanc ipſam iam pridem omnes mecum valde deſiderant. quid autem eius editionem moretur, aut quo minus doctiſſimis viris, tuique ſtudioſiſſimis in ea gratum facias, non poſſum ſuſpicari. Sanè opus iam multos annos abſolutum habes: niſi ſi ad limam ſemper aliquid deſideratur: preſertim ad illius tui rationem, cui nihil ad unguem probatur: cuius ſuperbiſſimo iudicio ſi ſtare volueris, nos iſto inani deſiderio cõmorituros, oratorẽ vero, quem in ea optime informas, nunquam ex capſulis tuis in forum, atq; in publicum proditurũ eſſe video. Aude Caualcanti tandem viuis gratiam hanc facere, atque hanc libro tuam gloriam compara, antequàm omnes amici tui decedãt. deceßit paulo ante Bembus, poſt eum Romulus, tertius acceßit Bonamicus, quartus Sadoletus, poſtremus Flaminius: ut quoſdam alios omittam, non tanti*

nominis illos quidem, ſed qui tamen hunc, & cũ illis libenter legere, & commendare potuiſſent. At motus iſti cum Gallici, tum Italici, meæ vero à Pontifice modo ad Regem, modo ad alios legationes, familiareſq; curæ minimè leues magno, ne id efficerẽ, hactenus mihi fuere impedimento, vtinam vero nunc eſſet melius. ſed poſterorum ea cura erit. ſcilicet, ut in quo negligens ipſe fueris, tui ſe poſtea diligentiores prębeant. quid ſi illi ab hiſce ſtudijs abhorreant? quid ſi aliquo modo (quod omen Dij auertant) liber pereat? at nihil horum ſit. edatur, legatur, laudetur. tu certè tum nihil eius gloriæ ſenties: ad quam unam omnes homines inflammari ſolent: neque quicquam aliud ſpectant, quam ut audiant de ſe cum ſumma laude prædicari. cuius gloriæ ſi minus cupidum te eſſe reſpondebis, certę non negabis, quam utilitatem in eo cæteris comparaſti, eam quanto pluribus communicabis, tanto munus tuum acceptius futurum. præſentibus igitur in eo fac, ut proſis, ne te merito accuſare poſſint, qui in tui quaſi proprio conceptu maximã iacturam feciſſe videantur. Vale.

B. R. SYLVIO ANTONIANIO S. D.

SATIS tibi Sylui, ſuperque eſſe potuit, quòd ſummus poeta natus eſſes: qui cũ Heroum res pręclare geſtas eo verſu caneres (nequid nunc dicam de ijs, quos Italica lingua de quaque re, quæ tibi propoſita ſit, extempore vel optimos facis), ut eas ipſas, ut gererentur, ante oculos proponere videaris: tum etiã cuiuſque generis amores varie deplores, neque in ſacris Deorum pari cum dignitate non ludas: niſi alteram etiam laudem, qua ex oratorio dicendi genere comparatur, tibi tam fęliciter vendicares. Tuę orationi, quam de ſcientiarum laudibus ad maiorem vrbis ædem habuiſti, interfui, quam pro rei magnitudine ita peroraſti, ut paucis omnia non ſolum percurriſſe, ſed etiam ample pertractaſſe mihi ſis viſus: idque eo, quò alia aliam pars aptiſſime ſequeretur, ordine, & filo. Dictione item, quæ veterum tuorum, actione vero, quæ etiam recentiorum eſſe agnoſcitur, etiam maximè laudatur. ut mea ſententia id iam ſis adeptus adoleſcens, quod vix pauci ſenes ſunt aſſecuti: ut in utroque dicendi genere, æque plurimum valeas. perge modo (ut facis) in utroq; ſtylum tuum exercere, & mihi crede breui fore,

vt in utro plus laudis homines tibi attribuant, incertum habeant, atque in te finem querendi faciant: qui ex veteribus optimè ſimul caneret, ac ſplendidè, atque copioſè diceret, nullum æque unquam fuiſſe. Vale.

B. R. SYLVIO ANTONIANO S. D.

QVANDO *eodem die te Princeps noſter duplici munere affecit, ego quoque nunc tibi dupliciter gratulabor; atque vtro magis, haud ſcio: an ex ſexaginta illa annua penſione tibi conſtituta, an ex ea publice interpretandi extraordinaria prouintia. nā, quod ad penſionem, illa quidem ad commodum tuum maximè confert: ſed in ijs bonis tamen adnumeratur, quæ fortunæ attribuuntur. interpretandi vero munus multo quidem eſt nobilius, ſed vereor, ne tuis interioribus ſtudijs incommodè acciderit. illud enim tempus, quod huic parti dabis ad tuis auditoribus, quicquid id ſit, explicandum, id totum de tuis optimis ſtudijs detraxeris. huc accedit, quòd dictionis elegantiæ, qua vna maximè delectaris, quamque nihil omittis, vt aſſequaris; ea loquendi ratio plurimum eſt obfutura. nam cum latine (vt fit) in explicandi curſu fereris, multa ſæpe tibi deficient. plura etiam non ſtatim, nec ſuo tempore ſuccurrent*

propria

propria verba ; tum ne hærere videaris, non ſolum impropria, aut minus culta, ſed interdum etiam barbara, ac quicquid in buccam venerit, arripies : qua vna re, nihil eſt, quod eloquentiæ pernicioſius accidere, nihil quod magis eam contaminare poſſit. nam cum id ſæpius feceris, quod ſæpiſſime eſt faciendum, non ſolum id, vt uitium, vitare ſtudebis, ſed in cæterorum morem lapſus, ſatis tibi eſſe præſtatum excuſabis, ſi ab auditoribus tuis intelligaris. atque ita, dum cæterorũ commodo ſtudebis, in tuis peſſimè delinques. at qua in re? quæ in ſermone, quæ in ſcriptis, quæ domi, quæ foris, quæ nunc, quæ multos etiam in annos gloriæ tuæ ſit egregiè obfutura. Quare meum conſilium eſt, ſi omninò docendum eſt, ne multis id facias : ſed vt breui auctoris ſenſum explices. in multis enim, ut in uitioſam iſtam loquẽdi rationem incidas, neceſſe eſt ; quando nondũ id eo modo facere potes, quo ijs facere licet, qui iam pridem in optimo dicendi genere conſtituti ſunt, atque dicendi vſum optimè callent : qui cũ etiam ſubito ad dicendum veniunt, neſcio quid ex eo, quòd cogitate egregiè faciunt, afferre uidentur : ac quaſi nauis illa faciant, quæ plenis ue lis feratur : quibus etiam deductis, non nihil tamen prioris incitationis ad aliquantum ſpatium retinere uidetur. Sed hoc mihi eò minus moleſtum eſt, quo id tibi eſt rarius faciendum. nam

ſi quotidie in eo dicendi genere tuo ſtylo abutereris, prorſus actum eſſet de tuo illo politiori ſcribendi modo: nunc vero non vereor, quin multorum dierum cogitata ſcriptio per paucorum dierum interpretationẽ ſit ualde ſuperatura. Vale.

B. R. SYLVIO ANTONIANIO. S. D.

SI *tibi libebit, aut etiam commodum erit, cupio, vt cum vrbaniſſimo, ne dicam nunc cum doctiſſimo Madio noſtro, ac Fuſchinio optimo viro, mecum ad meam villulam in Quartiſano vij. id. Iun. ſitis. quem diem lætitia magis, quàm vino pleni, riſu, ac iocis traducemus. cui diei, ſi vobis per veſtras urbanas actiones licebit, eum etiam, qui ſequitur dies, adiungemus. diſtat locus ab urbe ſex millia paſſuum, una hora matutina, plus minus, iter illud commodiſsimè ciſio conficiemus. in reditu uerò in Beriguardum loci regij uiſendi cauſa, facilis erit declinatio. nolo id ante, ne ex ampliſsimo loco cum in humilem diuerſoriolum poſtea ueniſſetis, vobis, quaſi à ſplendidiſsimo ſole in paruum candelæ lumen oculos conieciſſe videremini. expecto, vt reſcribas, quàm libenter hanc noſtram inuitationem accipias. nam de cæteris non dubito, quin mihi gratiam hanc læto, atque alacri animo facile ſint facturi. Vale.*

B. R. SYLVIO ANTONIANIO.
S. D.

VIDES Sylui, quæ cęli in nos inclementia extorta ſit. nobis nubes vndique cœlum obnubunt: creberrimus imber toto effluit cœlo: vt mox lutulentiſſima futura ſit uia, niſi tu lyram ſumas, atque Apollinem tuum exores, ut ſudum ſaltem reducat. noſtri riſus, noſtri ioci uillici vel omnibus urbanis ſuauiores, nobis ſunt erepti, atque propè ex ore ipſo euulſi. ſi uero id non impetras, nihil eſt, cur barbiton in parietem non illidas, atque etiam fias ad Bacchum transfuga: aut illi miniteris (cum præcibus non obtineas) te poſtea omnia eius ſcelera palam in urbibus, in publicis locis ad eius lyrã eſſe diuulgaturum. Sed non negabit, modo te ad preces accingas. Vale.

B. R. SYLVIO ANTONIANIO.
S. D.

DII iſti malæ tempeſtati omnia mala dent: quando ipſa me peius afficere nõ potuit. non poterat in tertium, uel ſaltem in poſterum diem hæc cœli improbitas differri? ruiſſet poſtea cœlum ipſum: nihil feciſſem.

ſed, quæ mea bona fortuna eſt, credo quicquid imbris aquarius per totam æſtatem terris demittere, quicquid ventorum Eolus effundere debuit, id totum in unam ſuperiorem noctem, atq; continenter in hunc diem coegiſſe, atque effudiſſe, Dij boni quid hoc fuit iniquitatis? aut quid ego tam impiè aduerſus vos egi, quem tanta iniuria afficeretis? At peſſimus omnium hominum in cæteris rebus fuerim, nefarie omnia egerim, omnium ſcelerum fuerim affinis: certè hac una re nulla ſanctior, nulla caſtior, nulla integrior agi potuit. optimum Philoſophum, ſanctiſsimũ Poetam, æquiſsimum Iuris conſultum ad meam villulam in Quartiſano vij. id. Iun. animi gratia inuitaram: præiueram pridiæ eius diei veſperi, omnibus tamen prius in vrbe, quæ ad iter illud eis accidebat, conſtitutis: ut ibi quoque haud imparatus illos poſtridie mane acciperem. Hactenus læta omnia: cum ecce tibi tota nocte illa, quę conſtitutum diem præcedebat, totum cælum denſiſsimis nubibus ſubitò corripitur: ac ventis primum, deinde imbribus ita conturbatur, ut corruere videretur. quod ut ſenſi (ſenſi enim ſtatim) nihilo minus, quàm cęlum, ipſe omnino cõmotus ſum. ad unum quoq; nouum venti flatum grauiter angebar: totus etiam imber in me, vel in lecto cubantem irruere videbatur. me tamen ut melius poteram, ſuſtinebam: ſperans ad naſcentem

ſcentem ſolem utrunque ceſſaturum. Surgo è lecto ſub ipsum diem, quando ſub ſolem dicere non poſſum: circonſpicio: nuſquã ſpes fore melius oſtẽtatur: nuſquam Auroræ albor, nulla ſydera, nox omnia denſiſſima, creberrimus imber. neque tamen etiam dum deſpero: media æſtas, meaque integritas conſolatur, ut partim ventus, partim ſol nubes illas diſcutiat, ceſſet imber, ſerenum inducatur. Sed fruſtra omnia: pergit, ut cœperat inclementius imber: venti vis in ſextam diei horam acrius ingruit. tum tota ſpe excidi, totoq; animo concidi. quicquid enim reliqui manſit, totum fuit deſperatio: atque in cœli inclementiam illam verba aſpera. quod ſi integritatis meæ nullam (de more ſuo) rationem habere noluit, ſaltem Madij optimi Philoſophi, hoc eſt viri ſanctiſſimi, Syluij adoleſcentis Apollinis filij, Fuſchinij omnium integerrimi aliquam habere potuit. ſed nunc planè perſpicio, quantum mihi fortuna aduerſetur: ut apud eam plus mei ſolius odium, quam eorum omnium bonitas valuerit. Vtinam Sylui mihi tuus ille diuinus ſpiritus, vel unum tãtum diem, concederetur, efficerem probe, ut hoc haud inultum abſtuliſſe minimè lætaretur. quod ego eò ſeccurrius facerem, quò iam ab ea nihil grauius accipere, neque nouum ei iniuriæ locum dare poßim. neque tibi tamen ſuadeo, ut meam iſtam vicem doleas, atque gratiſſimus hoc offi-

cium

cium mihi pręſtes. nollem enim mea cauſa illam in te acerbius inſurgere. valde enim eſt mala beſtia, quę cornu, quæ dente, quę pedibus ferit. quin ſi me audias, eam tuis verſibus nobis lenire ſtudebis, atque omnibus precibus rogabis, nę poſthac, cum iterum hoc ipſum conſtituerimus, tam aduerſa, atque ingrata ſit, tibiq́ue ſoli unũ illud iter fęliciter concedat. Vale.

B. R. SYLVIO ANTONIANIO S. D.

IAM mihi nullum locum poſthac periculo vacuum video, quando in lecto valens, dormiens, penè oppreſſus ſum, noſti pomum (quod dicunt) ligneum, vnde lecti tentorium pendet, illud veteri funiculo, quo, ut uſus ferebat, aut tollebatur, aut demittebatur, diffracto, mihi in alterum armum (in latus enim dormiebam) grauiter decidit. ut videas hominum conditionem. ſed bono tamen fato factum eſt. ne mihi in caput decideret. totum.n. illud mihi, quod eius pondus erat, contriuiſſet. cum ita latus offendiſſet. vt, etiã poſt xx. diem inter eundum non nihil ſentiam. Quòd vero ipſe non ſolum prorſus quartana careas, ſed omnem etiam grauedinem à te remoueris, valde gratulor. qnare etiam commodè poteris animi cauſa huc ad me te conferre, vbi lætius, quantum tibi

tibi videbitur, commoraberis. neque eſt, quòd quicquam à ligneis malis metuas: magis roſea, quæ hic ſunt hoc anno pulcherrima, noſtris manibus colligemus. ferreis enim uncis ab altero capite in terebræ morem prçacutis, in trabe immiſſis, annulo item ferreo, nullo funiculo, ut tentoria appenderentur, curaui. Vale, ex meo Quartiſano.

B. R. SYL. ANTONIANIO S. D.

PEDES ſum. Camillus ægrotat. cælum æſtu ardet, via longa eſt, rei familiaris cura me ſibi totum poſtulat, his multis ac maximis impedimentis te his diebus ægrotantem non viſi. nunc te hoc, quo commodius poſſum, modo viſo, atque rogo, non ut mihi ignoſcas, qui nihil admiſi, neque ut valetudinem tuam cures, qui tua ſponte id facis: ſed, ut conualueris, per iſtos æſtus, ut parumper tua ſtudia, illa inquam ſeueriora ſtudia, non hæc humaniora, ſeponas, genioque, atque lyrę tuę tantum indulgeas. hoſpes hic eſt Bononienſis Bolognetius, mirificus adoleſcens; qui te ad lyrã canere audiẽdi miro deſiderio tenetur: hanc ſi illi gratiã facere poſſes, & te, & optimo adoleſcente, qui haud ſcio, an huc ea tantum cauſa acceſſerit dignißimum faceres. poetæ, ac XL. viri filius eſt, neque etiam

etiam ipſe cum infans, tum etiam à tuis muſis alienus. ſi te reuiſerit, reuiſet omnino, ac febris, ut audio, prorſus abierit, rem eleganter, ut facere ſoles, in ſermonem induces, atque ita belle lyram poſces. atque aliquid, vel etiam de eius laudibus ad eam ages. interim Vale.

B. R. SYVIO ANTONIANIO S. D.

LEGI *tuas literas, ſed quid ego dico legiſſe me? cæterorum enim leguntur, tuis vero ita afficior, ut nihil ſuauius ſentiam. his verò omni voluptate ſuffuſus ſum: neque id iniuria: nam qua ego dicendi elegantia maximè delector, eius eæ totæ refertæ erant. ut cum eas legerem, me non legere, ſed omni voluptate frui viderer. O' te undique fælicem Sylui, qui tecum ab ortu tantum ingenium extuliſti, atque ad omnia nobiliora ſtudia facillime percipienda, & factus, & natus es. Tu in verſibus pangendis, ſiue id ſubito, de quaque materia, quę tibi propoſita ſit ad dicendum, omnes, qui te audiunt, ſumma afficis admiratione. ſiue eos meditatè ſcribis, ſummo eoſdem ſtupore comples. in ſolutiore præterea oratione quis te facilior? quis compoſitior? quis comptior, atque elegantior legitur? vereor nę me, quæ tua eſt ingenuitas, hoc auribus tuis dare putes, atque hæc magis, quia in te eſſe cuperem, quàm quod ita ſit,*

ſit, hæc ad te ſcribere. te equidem tantum amo Sylui, idque tuis virtutibus, quantum quiſquàm alius, aut etiam quenquam alium. ſed ea tamen beneuolentia nihil impedior, quo minus, ſi quid ſecus in te ſit, videre poſſim, aut aducor, ut ei, quàm par eſt, atque etiam facere debeam, quicquam amplius in te laudando obſequar. Quid autem ad ætatem? nunquid hoc quoque falsò tibi dare videbor? certè cum duo de viginti annos attigeris, ſummum ætatis tuæ attigeris. quo breuiſſimo ſpatio alij fari incipiũt. tu vero, & ſplendide loqui, & numeroſe canere didiciſti. vt verè ego illud de te, quod de Virgilio adoleſcente dictũ circunfertur, uſurpare poſſim. Salue ſcilicet, Sylui magnæ ſpes altera Romæ. tametſi illud altera in te mihi duplex verius efficere poſſum. qui in poetica facultate iam Maroni adoleſcenti propius accedere, in dicendo vero Ciceroni etiam grãdiuſculo optimè reſpondere videaris. Vt nihil dubitem, cum par ætas, ac ſtudium acceſſerit, quin utrique proximè accedas. In quo vero de me quæris, vt te doceam, qua ratione in poſteriori verſeris, ac quam ex eo tibi ad propoſitam benedicendi rationem ſuppellectilem comparare poſſis. Equidem Sylui, cum hæc duo tibi præcepero, ut in Cicerone lectionem tuam contineas: atque in eo dieque, noctuque verſeris: lectioni verò ſcriptionem aſſiduam, ut adiungas

iungas

iungas, omnia, quæ ad hanc poſtulationem pertinent, tibi præcepero. Si quidem ex lectione verborum delectum, cui primas in eloquentia tribuunt. locutionem deinde, videlicet, vt quæq; ac quoquo modo ſplendide, copioſe, humiliter, grauiter, atque cum dignitate dicantur, inde quoque aſſequere. Cum verò non poſtrema laus ſit in oratione, numeroſe dicere. idquè aurium iudicio maximè comprobetur. ſi eas in unius Ciceronis lectione attriueris, qui fieri poterit, ut in tua ſcriptione illas poſtea non ſequaris, atq; ad earum quaſi harmoniam non concinne ſcribas? nam ſi tibi quoties numerum ſeruare uoles, ad pedum rationem recurrendum ſit, atque cur magis breui, quàm longa ſyllaba utaris, ex arte ipſa erit quærendũ, nimis, niſi infinitum, longum laborem tibi conſtitueris. perindeque facies, atq; ille, qui formæ literarum ignarus, ſcribat. cui ad earum ſingularium formam effingendam, ſemper ad eam reperiendam, erit recurrendum. quod is non faciet, qui eas frequentiſſimo uſu, mente, atque animo comprehenderit. Si quid tamen ex tua lectione in tuum codicem ad præſentiorem memoriam tranſcribere uoles, ut qui ex præcioſiſſimis gemmis quaſdam præſtantiores deligas, quas poſtea, cum vſus poſcet, in orationem tuã illiges, quarum micantib. radijs ea illuſtrior, ac ſplendidior fiat, id in primis, cum in verborum

tum.

tum in ſententiarum figuris ſeruari poterit. pari item ratione, ſi in translatis feceris, haud ab re feceris. in una vero locutionis ratione ſemper attentior eris. ut ſi nouum apparatum inde tibi conſtituas, non admodum improbem. At uno tuo, ne mihi fruſtra ſummũ laborem ſummam, facile poßũ acquieſcere. At mihi crede, multo magis unum tuum, quàm centum alienos, apparatũ tibi eſſe profuturum. Quidam item ſunt dicendi modi, qui per ſe nituntur: quique eodem modo ſemper proferuntur. ut ſoluendo non eſſe. dedita opera. ſiue de induſtria. quo iure, quaque iniuria. tertio quoque verbo. quaque verſus. aliud aliàs. mutatis equis ad celeritatem. ad verbum. de improuiſo. ut nunc eſt. quantum in me eſt. tantum abeſſe ut. & alij innumerabiles. qui ſi in unũ locum conferantur, ac poſtea legendo vel percurantur, iſtud tuum ſtudium non nihil ornabũt. Sed hęc, & reliqua eius generis minuta ſunt. quæque vel nullo negotio adinueniri poſſunt. In ſcriptione vero, quæ in diſtributione noſtra pars erat altera, hoc ſtudij ponendum erit. vt aßidue ſcribas, reſcribas, deleas quæ ſcripſeris, meliora reponas, in eandem ſententiam non eodem modo, ſtylum tuum exerceas. quando Cicero affirmat, ſtylum eſſe optimum dicendi magiſtrum, atque effectorem. Sed quemadmodum ex uno Cicerone omnem verborum delectum, cæteraque, quę orationem tuam illuſtrabunt, ita ab eodem

ſcribendi

ſcribendi exemplum tibi ſumendum erit. ut hũc tibi tantum proponas, cuius, non ſolum lingua loqui, ſed ad eius etiã imitationem tua ſenſa exponere videaris. Hæc pauca, ut vides, quæ tamen multa ſunt, cum tuæ optimæ naturę adiunxeris, nihil diffido, quin breui ſentias, te quicquid uis in dicendo conſequi poſſe. tametſi in eo iam tam longos progreſſus feciſti, ut parum vię ad eum finem tibi relinquatur. quam ego tibi, ut tuo iſti deſiderio magis ſatisfacerem, quàm, quòd quicquàm meis præceptis ipſe indigeres, hoc modo perbenigne demonſtraui. Cætera, ſi quæ ſunt alia ad illud iter conficiendum, ea ipſe per te facilè animaduertes, atq; deprehendes. vale.

B. R. SYLVIO ANTONIANIO S. D.

ALTERA, & vigeſima (ut noſtri dicunt) eius diei, quo Ferraria diſceſſeram, hora Bononiam perueni, ea Ciſij commoditate, quæ eſſe poteſt in publico: viæ autem facilitate, quæ ex ſuperioribus imbribus orbitis ad rotarum aſſes effoßis, atque etiam lamis veteribus plena eßet, quæque poſtea glebis vento, & ſole obduruiſſet. ſed id multo grauius, quòd meorum quadraginta virum nullum in vrbe offendi. Cuſpius Romę legatus adhuc tenebatur. Giſlerius, Bolognetius, Elefantutius ruri cum familijs

per

per hæc temperatiſſima autumni tempora ſeſe oblectabant. Paleotius Carafio Cardinali Venetias occurrerat, vt planè hoſpes eſſe videar. De cubiculo, præter hoſpitem, non autem hoſpitã, ſatis bonum virum, nihil ad meam ad Gandulfium deſcriptionem. quin eius feneſtræ ita ſe in cœlum tollunt, ut ſcalis ad eas aperiendas, mihi opus ſit. rides, pereã male, niſi ita eſt. ſed nõ apud hunc ſum diutius commoraturus. De impreſſoribus (ut dicunt.) qui à literis optimè parati ſunt, ij ab operis peius imparati eſſe non poſſent. qui verò contra ab his optimè, ab illis peſſime ſunt comparati, ut quid acturus ſim, non ſatis conſtituam. ſi poſſem hinc hoc, illud autem ab illo, quod opus eſſet, mutuari, ſperarem aliquid confici poſſe. dabo tamen omnem operam, ne huc fruſtra veniſſe videar. Sed iterum rideas licet. dum hæc ſcribo ante lucem ad lumen. ecce tibi piſtor, qui noſtri vici panes coquit. hoſtium more ſuo pultat. non ſentitur. iterum grauius repultat, fruſtra. tertio, ac ſæpius iratus vehementiores, atque crebriores ictus ingeminat. omnes mortui ſunt. tum ego ſcriptione miſſa ad hoſtium accedo. quis inquam tam inſolenter fores has infringit? Piſtor, ille inquit, qui iubeo iſtas mulieres panes conficere, tum iſti hoſtium aperio, vt is ſuo cum illis perfungatur officio. ingreditur. vocat. clamat. vociferat. ſe-

pultæ ſunt mulieres, tandem ex inferiori ædium parte, credo ex cella vinaria, vox emittitur abſurdiſſima. ſe facturas. Vt videas cui mihi in hac mea hoſpitalitate deſeruiendum ſit. In vicinia autem eſt muliercula mente capta, altera Gabriella noſtra. quæ noctu, quæ interdiu, inſanis clamoribus totam complet viciniam. Sed quid expecton te? an non? ſi me amas. ſi res tua, ſi principis benignitas fert, te te octo ſaltem dies Ferrarienſibus ſubtrahas, atque ad nos Bononiam, puſillas Venetias, aduola. crede mihi vrbem hanc vnam omnium eſſe commodiſſimam, ciuium vero animos omnium hominum humaniſſimos, atque in hoſpitibus accipiendis benigniſſ. Vale. Bononię id. Octob. M D LVII.

B. R. SYLVIO ANTONIANIO S. D.

MONSTRVM *horrendum, ingens: Ain tu muſas virgines tibi adoleſcentulo vitium obtuliſſe? atque ex eo compreſſu heroum filium natum? Multiplex medius fidius portentum, mulieres caſtiſſ. cum viro coiuiſſe, atque eum concepiſſe, ac peperiſſe. id mihi illi Catonis ſimile eſt viſum. cum neſcio quis prodigium eſſe diceret, quòd mures per noctem manè diſceſſuro ſoleas corroſiſſent. neque propterea illi tutò eſſe diſcedendum. minimè inquit ille, id*

quidem

quidẽ prodigiũ fuiſſet, ſi ſoleę mures corroſiſſent. ò elegantiß. muſas, quæ cũ tàm elegãti adoleſcentulo coiuiſtis, atque ex eo talem partum ſuſcepiſtis. ignoſco vobis veſtram iſtam libidinem, imò vero vos rogo, ut eam ſæpius repetatis, atq; Iouis patris veſtri cum Alcumena concubitus imitemini. concludite diem inter duas noctes, ac ueſtros Hercules vos quoque progignite: quando vobis nullus uter eſt gerendus, neque ad veſtros partus vlla vocanda eſt Lucina. ſed ad partum tuum redeo. Dÿs gratias ago, qui, ne abortum faceres, prouiderunt, aut ne, ut montes, murem pareres, effecere: tametſi hoc Principum eſt, non autem tenuiorum virorum. Sed quid, ſi ipſe muſas compreſſiſſes? credo, ſingulæ ſingulos Appollines peperiſſent. Sed hactenus de iocis fortaſſè etiàm plus ſatis, qui, ut tibi ad tuas adoleſcentiores reſponderem, homo ſeptuagenarius quaſi ineptire videri potuerim. Tuum igitur partum, hoc eſt tuos optimos verſus legi, relegi, atque etiam, ut eorum ratio poſtulabat heroicè concinnui. Tu quidem Sylui piè, atque admiſericordiã uniuerſæ Italiæ cauſam agis, atq; apud eum Iudicem, qui pœnitenti ignoſcit, atque omnia ſcelera veniam petenti vſque eò condonat, atque remittit, ut ſe ſuamque vitam pro hominum ſceleribus attrociſſimę, atque turpiſſimæ, morti offerre non dubitauit. ſed fruſtra preces

fundis. inanem operam ſumis, non quin is eas libenter audiat, ſed quia eius ope nihil opus eſt ad id, quod rogas, in Principum noſtrorum concordia ea ſita eſt poteſtas, atque auctoritas. ij odia deponant, arma abijciant, animos inter ſe concilient, in priſtinam concordiam redeant, pacem faciant, otium conſtitutum eſt, quies Italiæ parta eſt. omnia tuta, atque in tranquillo ſunt poſita. ut aliundè quæramus, quòd in nobis habemus. quod qui faciunt, indigni ſunt, ut audiantur. ut illum ruſticum imitari videamur, qui cùm œſtro in pede (ut in fabulis eſt) ſauciaretur, manibus in cælum ſublatis, Iouem rogabat, ut is illud inde eijceret. quaſi ipſe iiſdem hoc ipſum efficere non poſſet. Ita nos facimus, qui eum præcibus ſollicitamus, ut ea nobis concedat, quę in noſtra manu poſita ſunt. Iſtos igitur quorum odijs omnia euertuntur, ius ſublatū eſt, vis, & ſcelus dominatur, cantu, ſi potes, flectę, eorum animos emollias, atque ita pacem, atque, quod quæris, Italiæ otium conſtitueris. Hoc verò, quod ad verſus tuos. ego hic aliquot dies eſſe cogito, cum ut mihi ad impreſſorem adſim, tùm ne Camillo filio deſim, quem perindè, atque ſi domi eſſemus, in viuendi uſitata conſuetudine contineam, atque ità in aliena vrbe, quaſi in ſua eſſe videatur. Vale.

HODIE

B. R. SYLVIO ANTONIANIO S. D.

HODIE Sylui mihi tecum. id prope accidit, quod Cicero cum ſuo Dolabella ſibi accidiſſe dicebat. hic enim ad ipſum Dolabellam ſcribens, ſibi ex eius egregijs rebus, quas in conſulatu geſſerat, multas, ac maximas à præſtantiſſimis viris gratulationes factas eſſe, quaſi cuius conſilio eas Dolabella geßiſſet, quodammodo gloriabatur. nàm cúm ipſe ſplendiß. illam orationem de laudibus eloquentiæ habuiſſes, continuo Amanius cum Bendidio ad me accedens, tibi gratulor, inquit, Ricci, quòd tàm citò tantum alumnum tibi confeceris. cui ego. nihil eſt, quòd hac cauſa mihi gratuleris. illum magis adoloſcentem admirari omnes debemus, qui in hoc dicendi genere tantos, tàmque breui tempore progreſſus fecerit. Equidèm, quod ad hanc orationem attinet, ne verbum quidèm eius aut legi, aut audiui anteà. rectè ille quidem, ſed ex tuis præceptis, atque inſtitutis eò iam peruenit adoleſcens, ut etiam ſine cortice (ut dicunt) longum natare poßit. Túm ego. non negarim equidèm me illum, ut filium amare, neque quicquam habere etiam in hac dicendi ratione, (ſi mo-

dò quicquam habeo) quod cum eo non libenter communicarem. Sed mihi crede, tale eius ingenium eſt, ut parum adiumenti extrinſecus illi ad quiduis faciendum, opus ſit. Ego quoque illum ad uerſus tantùm, quos mirificè facit, natū eſſè credebam, ſed, ut ipſe quotidiè magis comprobat, nihilhominus ad hoc ſolutum dicendi genus, quàm ad illud numeris paulò aſtrictius, appoſitè factum eſſe video; ut, ſi vita ſuperſit, neque ex inſtituto curſu aut caſus aliquis (quod nolim) aut etiam aliorum ſtudiorum ratio, quæ, iam parata eſſe videtur, retraxerit, vtrum præſtantior orator, an magis egregius Poëta iudicetur, in dubio ſit omnib. relicturus. quam meā ſententiam omnes, qui aderant, Locatellij, Pignæ, Friſolij, Bendidij, Lolij, una voce & amāter, & conſtanter confirmarunt. Hæc autèm tùm de te: nunc verò ego hæc tecum. magnam tibi Sylui aduerſariam conſtitutam eſſe vides, ſummam omnium tui ingenij expectationem, quā niſi vir præſtiteris, non ſolùm tuorum, atquè adeò tuis commodis imprudenter conſulueris, ſed dignitati etiàm non leuiter obfueris. quorum utrunque quanto in precio, apud omnes ſit, neminem fugit. Quarè ipſe intereà prò uirili contendes, atque eniteris, ut in neutro tibi deſis. id autèm aſſequeris, ſi ità, quàm cœpiſti, viam ire perrexeris. ut quotidie aliquid amplius profeciſſe te

ſe te ſentias, neque quicquam remum intermiſeris, ne ceſſando retrò relabaris, atque ita fiat, ut nunquàm ulterius, quò ſemel perueniſti, excedas. quibus meis fideliſſ. conſilijs ſi parueris, tum mihi quoquè ex ampliſſ. illa tua gloria, ut aliquid decerpam, tibi minimè moleſtum eſſe debebit. quid enim ex oceano guttulam haurire? non quin hoc quoque tua ſponte ſis optimè facturus. ſed quoniàm mea paterna cohortatione, ſi non aliquid doctrinę, certè acutioris ſtimuli non parum ſit acceſſurum. Vale.

B. R. SYL. ANTONIANIO S. D.

*Q*VOTIES *in cubiculum ingredior, quo mihi in bibliotecam iter eſt, toties tui memoria mihi renouatur, id autem ex tuo ſigno, quod in vaporarij cornice (ut dicunt) collocatum eſt. id quod quàm crebrò fiat, dici non poſſet, ut propè te nunc abſente magis fruar, quàm cùm præſens adeſſes, non faciebam. ſed illud mutum, mortuum, umbra. viuus longiſſimè abeſt, ut indè præter tui recordationem nihil habeam amplius. tantũdem te à meo plumbeo habere, audio reſpondere. acquieſco. te amo. à te amor. illud ex oculis, hoc ex animo. ſed moleſtè fero, te à me in amore vinci, mallem equidèm ſuperari. iàm alter menſis adeſt, cùm à no-*

bis diſceſſiſti, neque tamen adhuc quicquam de tuo aduentu. at nouus eram in vrbe. domus, quæque ad victum pertinent, cætera mihi erant paranda. rectè quidem. ignoſco. quid verò ſi ego tuas literas mea præſentia, non autem meis literis anteuertam? nihil enim mihi optatius, quàm ut ego Romam, tu me Romæ aliquandò videam. certè Sylui nihil propius eſt, quàm ut cum meo Principe iſtuc veniam. Iàm nimis ingraueſcis. non ego. ſed ardens deſiderium tantæ urbis videndi, tot, ac tantos amicos uiſendi me vel quinti luſtri virum reddere poteſt. noſti præterea, quàm ego ætatem meam optimè, atque atleticè feram. vnum impedimento (ſi iſtos audiamus) eſſe poteſt, alter ſupra ſeptuageſimum annus, quem homini fatalem notant, atq; in quo plures decedunt, obſeruatum eſſe dicunt. quæ ſuſpicio mihi quoque iniecta eſt. quarè etiam properò, quantum poſſum, vt mea ſcripta edã. De Iudicio Florentiam miſi, ut opus publicè deſcribatur. familiares epiſtolæ adhuc ſub prelo ſunt. Cùm hæc ſcribebam, xiij. cal. Mar. intercalares in Padanam inſulam, vbi ſuperiori nocte Pr. noſtra Medicia accepta fuerat, ut eam inde in vrbẽ ſolemni pompa ducerẽt, omnes conueniebant. Ego Iulio, illi Monoclo LIII. annos in carcere cuſtodito, comes ſum datus. dum equus adducitur, hæc tecum. ſed ſeruus pultat. equum

adeſſe

adeſſe ferunt, conſcenſum eo. totum ingreſſum poſteà ad te perſcribam. nunc vale. xiij. cal. Mar.

B. R. SYL. ANTONIANIO S. D.

FRANCISCVS *Robortellius tandem Bononiam venit expectatiſsimus. hunc ego cum viſerem, ita me amanter complexus eſt, ut germanum fratrem amantius complecti nequiuiſſet. Continuo enim inquit, ecce meum Riccium, quem Ferrariæ videre non potui, nunc Bononiæ in meo complexu teneo. tum ego, doleo mi Robortelli, te Ferrariæ domi meæ ita hoſpitem accipere non potuiſſe, ut tu me nunc Bononiæ aduenam accipis. atque ita aſſedimus. incipit ille. primum Herculi Principi noſtro gratias immortales agit, qui ſe humaniſſime aecepiſſet, atq; cum omni rerum ſuarum vectigali condonatione ad iter ſuum res ſuas continuo expediri iuſſiſſet. deinde in tuas laudes ingreſſus, earum nullum finem fecit. commemorat enim, ut ad ſe ad ſuum hoſpitem humaniſsime viſum acceſiſti, ac poſt amiciſſimos complexus, qui toti ſermones fuiſſent, quemadmodum, cum Pigna de poëtæ fine diſputarit, cum diceret ſe Horatij ſententiam cum cæteris facilè tueri. Pignam vero contra duos fines nulli facultati dari acutiſſime diſputaſſe, atque in una tantum voluptate eum finem verſari defendiſſe: ut niſi ego hic,*

ea

ea cauſa eſſem, qua planè ſis, meum ab urbe noſtra diſceſſum hunc peius odiſſe non poſſem. ſed neque, quæ ſequuntur, me leuius affecerunt, cũ narrat. te lyram poſtea ſumpſiße, atque ad eam Cæſaris Heroicum, deinde alterum, quo poſtremo Italiæ calamitatem deploras, ceciniſſe. quibus abſolutis, atque ita (ut fit) breuiorib. ſermonibus interiectis, te de eo quęſiuiſſe, ut tibi proponeret, de quo extempore Hetruſco carmine caneres. tum ſe, ut literas laudares, propoſuiſſe. video te primum, ut de illo cane fertur, qui in vilem feram obiectam nihil commotus eſt: ad nimis vulgare argumentum, ac de quo aliàs centies egiſſes, quaſi ſtetiſſe, deinde tamen, ut ei ſatisfaceres, quaſi in tranquilliſsimo oceano nauigares, vela ſoluiſſe. in qua una tanta rei pertractatione te omnia, & prudenter vidiſſe, & ſuo unum quodq́ue loco apte, atq; concine diſtribuiſſe, ea vero dictione atq; actione, quæ tua Romana eſt, mire perſecutum eſſe, aſſeuerabat. quo perfecto, te item nouum argumentum quęſiuiſſe, dicit. credo ego te à tanto viro in re aliqua nobiliſsima, ut maius periculum de tuo ingenio faceret, cupiuiſſe. id quod ipſe, ſuam humanitatem ſequens, atque iſti ætati fortaſſe non ſatis fidens, haud imprudenter omiſit. quare alterum tibi proponit ſuperiori non minus tritum, videlicet, ut eorum ſtatum, qui principibus ſeruiũt,

(quos aulicos vocant) laudares. cui reſpondiſti, te ſæpe alias contra ceciniſſe, nunc tamen in eius gratiam hoc quoque libenter eſſe facturum. in quo item te ipſum longe ſuperaſſe, ſumma cum omnium admiratione teſtabatur. quibus omnib. uti ego tua cauſa interea afficerer, ne expecta, dum dicam, cum te ſcias, ut filium alterum, à me amari. Sed hæc mi Sylui, penè etiam dixi fili, in adoleſcente, atque iſta, qua tu es ætate, vere commendātur, atque etiam admirationem faciunt, in paulo vero adultiori, non ita: in ſenectute vero nullam prorſus dignitatē habent. quare non tam præſentem gloriam admiraberis, quā futuram ex cęteris tuis præclaris ſtudijs omni labore contendes, ut aſſequaris. Illa, illa Sylui ſolida, ac vera laus eſt, quæ ex omnium rerum cognitione naſcitur. Tu igitur (ut facis) perge illi omnem operam dare: neque ſi tibi unum Madium præſtantiſſimum illum quidem philoſophū belli hęc importuna rabies ademit, non tamen nunc cum Belgerinius, tum etiam Locatellius tibi deerunt. neque ego deſpero, cum bellum hoc, iam propè affectum, totum ſepultum erit. quin in ſequentem annum Madium noſtrum ſis habiturus. Tu vero interea in tuis iſtis initijs ita verſaberis, ut ad illa poſtea diuina ſtudia quaſi factus, nō tātū eruditus venias. Hactenus de te. nūc ad me redeo, breui tecum eſſe cogito, domo enim

diutius

diutius abeſſe non poſſum. ac niſi me magis hic Camillus filius, quàm epiſtolarum mearum editio detineret, me domi Robortellius, non autem Bononiæ offendiſſet. Vale. Bononiæ VI. idus Nouemb. M D LVII.

B. R. *SYLVIO ANTONIANIO S. D.*

TVA *carmina ita hic omnibus probantur, ut qui ea legere, quorum magnus numerus fuit, ſibi omnes deſcripſerint. nunc in manu M. Tullij ſunt. quid inquies M. Tullij? erraui, volui dicere Virgilij. ſed neque erraui, nam is quidem eſt M. Tullius nomine, re vero haud impolite utrunque refert. qui & eleganter ſcribit, & numeroſe etiam, & concine canit, ut ex eius verſibus, quos tibi mitto, ipſe facile iudicabis, qui ex tuis te tanti facit, vt nullum æque neque, quicquam tam libenter, quam de tuis laudibus, audit. puta tu, ut conueniamus. atq; ego illi meis de te prædicationib. ſatisfaciam. Hic te ex meis verbis, atque adeo ex tuis literis, cum multis alijs auide expectabat: etſi iam pridem de aduentu tuo deſperatum eſt: quànquàm ego nihil unquam de eo melius, quàm nunc facio, ſperaui. De meo vero reditu, aut in quem me diem expectes, ego nihil etiam dum habeo, quod ad te ſcribam, ſanè hęc peregrinatio,*

grinatio, quàm vellem, iam mihi longior eſſe videtur. ſed me conſolor, cum hic fruſtra non ſum. tamen ante quam maius frigus cælum occupet, atque aquæ ad nauigandum gelu obdureſcant, nauem conſcendam, atque ad vos remis, veliſq; aduolabo. Vale. Bononiæ.

B. R. SYLVIO ANTONIANIO
S. D.

M. TVLLIVS Beroius, hæc mihi, quæ tibi carmina mitto, ſcripſit: quorum pars altera utrique noſtrum, & ſi mihi ſoli tota eſt inſcripta, communis eſt. tametſi is in ea tuas, magis quàm meas laudes perſequitur, idque mea cum ſumma voluptate, qui eo modo dupliciter laudari videor: ſemel ab eo, iterum à tua virtute, cum cuius laudibus mea laus coniungitur. altera tota tua eſt: niſi quod ipſe quoq; hanc ipſam cum eo communem habes, ut qui rem eandem, atque eodem verſuum genere perſecutus ſit. hic enim, ut tuos verſus vidit, continuo, vide quæſo, mi Riccij, vt in hanc ſententiam ego quoque luſerim, verſuſque ſuos mihi tuorum quàm ſimillimos legit. tum ego, Beroi, hoc quidem nihil admodum mirum videri poteſt. res. n. omnibus pernota eſt, atque in qua ſiue poeta, ſiue orator ſtylum ſuum exercere poſſet.

quis

quis enim recentem Italiæ calamitatem deplorare, atque etiam eo modo, quo uterque veſtrū facit, facilè non poßit? ita eſt, inquit: tamen mihi pergratum feceris, ſi ut ego à te eius verſus legi, eam operam dabis, ut à te eodem ipſe quoque meos habeat. id quod ei libenter me facturum recepi: idque nunc facio. De editione autem mea, ea nondum ad dimidium venit: veniam ego tamen ad vos propediem, mecumque quicquid deſcriptum erit, afferam. Vale interea. idem ut Locatellius noſter faciat, meis verbis iubebis. Bononiæ.

B. R. LAVR. FRIZOLIO S. D.

QVERIS à me Frizoli, ut quid eleganter atque polite Latinè ſcribendi ſtudium adiuuet, idque ſtrictim, atque paucis ad te perſcribam. Vtrunque magnum, ac perdifficile. alterum enim ut rarum, ſic etiam laborioſum ad præcipiendum. alterum, quod amplum, copioſumque ſit, ut in pauca conferatur, rei magnitudo non patitur. conabor tamen, ut iſti tuo tanto, tanque honeſto deſiderio potius morem geram, quàm ut tantę rei magnitudini me ſatisfacere poße ſperem. Duo ſunt mea quidē ſententia, in quibus hęc uniuerſa facultas vertur, alterum probatißimorum ſcriptorum aßidua

dua lectio, alterum ad eorum imitationem frequens perſcriptio. nam cum & verborum delectu, & eorundem collocatione, hæc elegantia maximè conſtet, hoc aut ab una lectione, aut à re nulla alia commodè peti poſſe videtur. quare, ſi me audias, ab uno Cicerone, qui pro cæteris omnibus mihi inſtar eſt, nunquàm diſcedes: immo verò in hoc uno die, noctuque inhærebis. quem ut depoſueris, eundem ipſum iterum ſumes, atque, ut ab iſto ipſo diſceſſeris, ad iſtum ipſum iterum redibis. neque eſt quod timeas (ut fieri ſolet) ut ex huius ſolius lectione ulla tibi ſatietas creetur, niſi omnem delectationem faſtidio ſis habiturus. varijs enim hic rebus, iiſque viro digniſſimis, quaſi pratum diuerſis, ac nobiliſſimis floribus ornatũ, quàm eſt refertiſſimus. ex huius frequenti lectione, atq; aſsidua verſandi ratione verborum delectum, tum eorum ipſorum concinnam collocationem, quæ duo, quam quæris elegantiam maxime conficiunt, facile conſequeris. perindeque in hoc facies, atque externus adoleſcens, qui in Italiam ad eius linguam perdiſcendam commigrarit, qui in media Hetruria ſedes ſuas collocarit: neque inde poſtea pedem ullum prius extulerit, quàm ad eorum modum voces omnes proferat, atque loquatur. quod facile ex quotidiana loquendi conſuetudine aſſequetur. quique poſtea, ſi aut ſcribat, aut loquatur

in media Hetruria natus eſſe videatur, ita tu, ſi in uno Cicerone in Latinis habitabis, dicendo efficies: ad eius enim modum ſplendide, atque venuſte & loqueris, & ſcribes. At hoc quantum ad lectionem. Iam vero quod ad ſcriptionem, huic Cicero primas in exercendo tribuebat, cum diceret ſtylum ſcribendi optimum eſſe magiſtrum. & re vera ſi quis tantum in lectione, atq; eorum, quos volumus, commoretur, neq; quicquàm calamum exerceat ſuum, fortaſſe, ut de aliorum ſcriptis recte iudicet, aſſequetur: ut uero ipſe polite ſcribat, nunquam. accedat oportet frequens ſtylus, ac volumina multa conſcribat, qui aliquid in hoc ſtudio ſe proficere poſſe ſperet. nam quemadmodum ille, qui omnem artis alicuius rationem, ac ſcientiam perceperit, niſi eam poſtea exercuerit, niſi aſſidue pertractarit, nihil in ea, quod laude dignum ſit, effecerit: ita ſcriptor ille, qui veræ ſcriptionis præcepta omnia pernouerit, ac etiam, ut nos volumus, in optimis noctes, atq; dies ſeſe continuerit, niſi ſtyli frequens vſus acceſſerit, huius ſcribendi rationis, de qua nos intelligimus, unquàm (vide quid dicam) particeps fiet. Quare, ut tu in Ciceronis lectione ſatis aures tuas pertriueris, tum calamum ſumere poteris, atque quotidie aliquid tibi effinxeris, quod ſcribendo exprimas. ſcribas, reſcribas, deleas hoc, aliud ſup-

ponas, noua ſemper argumenta tibi ſuppeditent, quæ tu oratione conueſtias. vices has ſerua, ut à lectione ad ſcriptionem, item à ſcriptione ad lectionem te conferas, neque unquàm una ſimul utranque depoſueris: verum, quòd ocij lectioni conceſſeris, id ſcriptioni tribuas. item contra. conſolare amicos in rebus aduerſis, in lætis eiſdem gratulare. hos alijs commenda. nunc hac, aliàs alia de re, ut ea ſe ſe obtulerit, agas. ſi verò Ciceronis epiſtolas, quæ tibi magis videbuntur, ſumpſeris, atq; eis quaſi tibi miſſis, reſcripſeris, mihi crede id in tuam iſtam dicendi rationem plurimum collaturum, breuique fore, ut te iſtius tui ſtudij minime pœniteat. Hæc duo nunc, quotidie, ſi quid aliud opus erit, de eo coram inter nos colloqui poterimus. Vale.

B. R. LAVR. FRIZOLIO S. D.

DVABVS *tuis literis eadem de re, ſed non eodem tempore conſcriptis, unis his reſpondebo. Gratulor tibi ſtatum iſtum tuum. Tuamque iſtam nobiliſsimam conditionem. quòd verò mihi gratias agere non ceſſas, ac totum iſtud boni mihi acceptum refers, tu quidem amice, atque ingenue. ſed tamen quod minime opus erat, facis. Equidem Frizoli à quo die te prius cognoui, in dies magis, amare perexi,*

idque ob tuos opt.mores, tuaſque ſingulares vir tutes feci. quare etiam tibi, ubi meam operam opus eſſe vidi, nuſquam defui. unumque illud ſemper ſtudui, vt amorē erga te meum re ipſa, nō autem pollicitationib.comprobarem.Ferrariæ apud noſtros Trotios te collocaui, illi tam te nunc quoq; abſentem cupiunt, quàm præſentem amabant. Bononiæ nunc multo nobilius agis, hoc quoq; mei officij nihil eſt expers. qui te apud omnes iſtius vrbis doctiß. viros non mediocri commendatione ſum proſecutus. Sed, mihi crede, nihil tibi adulor, niſi tui probatiß. mores, niſi tua ſingularis bonitas, niſi ſtudia minime vulgaria id à me libentiſsime impetraſſent, verbum de te nullum unquàm feciſſem. ut quas gratias mihi hac de cauſa agis ſingulares, eas tuis moribus, tuæque bonitati, atque ſingulari eruditioni magis agere debeas. ſed adhuc es in initio. hoc tibi fœliciter audeo ominari. maior fortuna Romæ te breui expectat. hæc illic te totum complectetur. qua poſtea, ut prudenter utaris, tuæ erit ſapientiæ. Redeo ad me. orationem de V. Caroli Cæſaris laudibus confeci: eam tamen non ſum tam cito editurus. Syluius te tantum amat, quātum quenquàm alium, non enim poſſum dicere, quantum quiſquàm alius, ne mihi illum parem faciam, te reſalutat. idem facit Madius, idem Pigna. Vale.

BINAS

B. R. LAVR. FRIZOLIO S. D.

BINAS tuas literas in lecto Tertiana laborans accepi. quarum alteris, mihi ſignificas, Antonianium noſtrum pro Petri æde ad Sum. Pont. atque Cardinaliū collegium primo ieiuniorum die, de more, orationem habuiſſe, eamque cum dictionis ſplendore, tum etiam actionis dignitate mire ab omnibus commendatam. quod quidem mihi magis gratū, quàm nouum accidit. noui ego iam à puero adoleſcentis ingenium. neque id deſtiti omnibus prædicare, atque etiam in quo potui, aut meis literis ad amicos commendare: aut etiam monitis il lum adiuuare, quicquam omiſi. ſed floſculi ſunt hi (ut dicunt) mox, cum adoleuerit, maturiores fructus eum edere ſenties. modo nobis illum Dij incolumem ſeruent. Ad alteras venio. quibus mihi de Aloyſij Ateſtij mei diſcipuli Cardinalatu peramice, ac beneuole gratularis. Eſt ita Frizoli, ut dicis. cur Deo opt. max. gratias agam īmor tales. cuius voluntate duos fratres meos diſcipulos alterū ad Ferr. Principatū perueniſſe, alterum Cardinalē factum, feliciter viderim. id quod ego pie, ac Chriſtiane quotidie facio. De meo uero iſtuc cum Cardinale aduentu, adhuc non ſatis habeo conſtitutum, hodie qui eſt. id. Martij, lxx.

& alterum annum ago.x. hiſce menſibus proximè elapſis ter grauiter ægrotaui, neque nunc ſatis confirmatus ſum. familiam habeo, quod familiam ducit: noſti uxorem fœmellam, neptes ex fratribus grandiuſculas. at Camillus filius eam reget, & prudenter gubernabit. noſti quàm ſui iuris ſit, quātumq; ab omni tali cura abhorreat. Equidem, ut Cardinali nuſquàm deſim, omnia facere poſſum, ut uobiſcum etiam ſim, nihil libentius facerem: cum me quoque Romam videndi maximum iam pridem teneat deſiderium. hæc aduentus mei adhuc informata ratio eſt. Deus reliquum, quod ſaluti, atque commodis meis expedierit, ut qui ſolus id nouit, ita etiam effecerit. Vale, ac Syluio noſtro ſalutem. Ferrariæ, id. Martij. M D L X I.

B. R. FRAN. TONANIO S. D.

EGO te Franciſce ob tuos iſtos optimos mores valde amo: ob ſingularem autē ac propè paternam diligentiam, quam in Syluio noſtro curando adhibes, quem nunquàm à tuo latere vel unum pedem diſcedere ſinis, multum etiam tibi debeo. in quo tuo ſummo erga illum ſtudio etſi nihil eſt, quod ipſe non videas, quodque deſiderandum omittas, ego tamen, qui poſt te illum omnium maxime diligo, ut mihi ſatisfaciā, te etiam

te etiam atque etiam rogo. vt videas, ne per hanc difficilem hiemem, cum ab vrbis capite ad alterum caput quotidie illi cum ad Belgerinium, tum ad Locatellium eius doctores itandum ſit, aliquid grauioris morbi cõtrahat, quo poſtea nõ ſolum tantus ſtudiorum curſus interpelletur, verum etiam eius vita in periculum adducatur. ſanè vel paucorum dierum ſtudiorum iactura magna eſt, eaque fugienda, ſed uitæ nulla maior: quæ cum nobis ſemel adempta eſt, nunquàm poſtea recipitur. Quin domi etiam id quoque prouidendum erit, ne ſcilicet de media nocte ex lecto ad libros per hæc ingentia frigora exſurgat. mollis enim eſt adoleſcens, ac delicatus, quique frigido ad coquendum utatur ſtomaco: hunc parua vis frigoris facile exſuget. moderata, mihi crede, ſunt, quæ durant. quæ vero extra modum excedunt, cito intereunt. Ille ſenectutem effœtam à diſſoluta iuuentute reddi præcipit: ego verò ab immoderatis laboribus eam, antequàm veniat, interfici, poſſum ex eius ipſius ſententia, affirmare. cum ait, qui diu ſenex eſſe cupiat, eum mature ſenem eſſe faciendum, in quem meum metũ id quoque me inducit: quòd huius generis ingenia, quæ præcocia appellant, breui ad maturitatem ſuam peruenire ſolent. idque male natura comparatum eſſe videtur, quòd ubi ſimul unà ſunt bona plurima, certant. eumque

in quo ſunt, interimant. à quibus omnibus nobis, & valde metuendum, & diligenter cauendum eſt. Vale.

B. R. LAVR. OCHIO S. D.

ETSI *Franciſcę propinquæ meæ cauſam ſæpius coram tibi commendaui. nunc tamen, quando iudicium inſtat, illa eandem cõmendationem ut tibi per literas renouem, à me valde cõtendit. Narrat enim omnium rerum, quę ſub diuiſionem veniunt, eſtimationem factam eſſe, idque tantum reſtare, ut ad æquiſſimam portionem diuidatur. ea autem eſſe videtur, ſi cuiq; cuiuſque rei pars dimidia tribuatur. non autem alteri tota domus, alteri fundus. ne illi, vbi habitet, foris conducendum, huic verò pro agro in tegulis ſerendum ſit. hoc, ſi æquum ſit, quod æquiſſ. eſſe videtur, ut decernas, te etiam atq; etiam rogo, ſin contra, nihil laboro, ius enim meum, non alterius iniuriam ſequor. Vale.*

B. R. AONIO PALEARIO S. D.

ITANE *fidem datam præſtas? itáne tuũ Pignam, atque Lollium, ne quid de me dicam, reuiſis? ò amicum elegantem, qui treis ſuos veteres amicos tam optatus decipit*

pit. fallit. Expecto nauicularij præproperam feſtinationem, diem ſtudiorum inſtare, viam longam, tempora pertimeſcenda, & cætera id genus. ſcilicet omnia ficta, atque inania. me miſerum, qui verebar, ne in Hetruria ægrotares, quotidie, vel etiam in ſingulos dies, tuum iſtum diem expectans: quando ecce Lollius mihi ſignificat, te Mediolani eſſe, atque ad te eò ſcripſiſſe. quo nuntio grauius offendi non potui. Sed ſi ea tamen ratione nos deuitaſti, atque fugiſti, ne te meis voluminibus onerarem, haud recte vidiſſe te, nunc vides: ea enim tibi à Cephalio, qui Papiæ ius ciuile interpretatur, mitto. tu verò iſtic, ut coram conſtituimus, tuo librario ea vendenda dabis. prætium autem is faciet pro voluminis ratione. interea vale. & quoniam mecum eſſe tres dies noluiſti, me breui expecta ad longiſſimum tempus tecum commoraturum, grauiß. ſcilicet. hoſpitem, quique tuorum ſcriptorum omnium omnes capſulas tibi compilet, atque exhauriat. rides, videbis, ſi viuimus. Vale.

B. R. DARIO BOCCARINO S. D.

DARI *quantum tibi debeam, ipſe optime ſcio, quantum autem ego de me optime meritis gratus eſſe ſoleam, ipſe cũ cæteris, cum vſus veniat, faciam, ut intelligas.*

etſi tuo tanto in me officio omnem meam referen-dæ gratiæ rationem facile ſuperaſti, qui tua ſpon-te id in me contuliſti, quod nullis meis precibus vix ſperaſſem à quoquam alio impetrare. res enim maior eſſe non poterat, mihique perquàm neceſſaria: ut etiam ſi in ipſa tibi referenda gra-tia par ſim, ex eo tamen ſim futurus inferior, quod fecero benigniſſime laceſſitus, ſemperque magis referre, quàm inire gratiā videbor. Te ta-men rogo, ut quicquid à me tibi referetur, id eo loci ut habeas, quo gratiſſimi, atque tui ſtudio-ſiſſimi haberes amici. Vale.

B. R. BASILIO MILANIO S. D.

AMILIVS filius mihi ſcribit, quæ multa ſecum de me honorificentiſſ. locu-tus es. cum, & mea ſcripta omnib. lau-dibus efferres, & propterea te me, quàm quen-quàm alium nihilo minus (ut tuo verbo utar) obſeruare. quæ mihi eo iucundiora accidere, quo etiam minus expectabantur. qui enim ego ab eo homine, quem neque de facie noſcerem, tanti me unquam fieri exiſtimaſſem? neque etiam in meis ſcriptis tantam vim ineſſe, quæ tantum amorem mihi conciliaret, in mentem unquàm veniſſe po-tuiſſet. Sed cū hæc mihi gratiſſ. fuere, tum etiā non nihil ex eo quoque moleſta accidere, quòd mu-tuo tibi in amore tantum tempus non reſponde-

rim.

rum, præſertim, cũ meus mos ſit, magis in eo amicos ſuperare, quàm ẽt æquare. Quare mihi poſtac uidendũ erit, ut in te amando id ſtudij, atq; beneuolentiæ ponã, ut in quo imprudens defecerim, ſciens id longe ſuperem. id, quod re ipſa comprobare incipiã. A Camillo.n.cum his literis cũ meũ opus de imitatione, tũ etiam cætera ſcripta, quæ te optare ſignificaſti, habebis. Vale. meque, ut tua ſponte facere cœpiſti. nunc etiam meo rogatu ama. qui tibi ſum in eo officio optime reſponſurus. Ferr.

B. R. LOLLIO. S. D.

BENTIVOLIVS noſter, niſi animam ageret, grauius ægrotare non poſſet. aſſidua enim, idque multorum dierum, febri conflictatur. poſtremò cùm pulſus intermiſſione: quod medici in ægrotis letale ſignum eſſe dicunt. ut ſi eum uiuum uiſere uelis, ciſium conſcendas licet, atque in urbem aduoles. vt uideas quàm humanæ conditioni fidendum ſit. quẽ optime ualentem paulo ante reliqueras, nunc quaſi ad eius elationem inuiteris. certè quauis ſagitta (quid enim flumine dicam?) hic omnia magis fluxa ſunt. pueritiam continuo ſenectus conſequitur, uitę mors adhæret. ut nihil homo ſit, niſi poſtquàm mortuus eſt: id enim qui tollunt, hominem omnibus belluis infeliciorem faciunt. eius igitur ueræ uitę ſpe.

hic

hic iſtas miſerias conſolemur, noſque ad iſtum diſceſſum in Chriſto comparemus. Vale.

B. R. LOLLIO S. D.

BENTIVOLIVS *noſter, ut hoc prò illo, melius habere cępit, iamque ſpes eſt eum poſſe uiuere, ut hac ratione reditum tuum ad urbem tui nobiliſsimi muſei ſtudio commodè differre poſſis. De ſorbis locutus ſum cum meo uillico. is apud uicinum noſtrum, qui plantarijs cuiusque generis optimam operam dat, rectos, ac procera altitudine, caudicis etiam apta craſſitudine notaſſe ſe dicit. illum continuo remitto, ut eas tibi emat. it. redit. refert, pridiè eum eas alij uendidiſſe. puta, ut cõmotus ſim. reliquos eſſe paruulos ad hominis altitudinem. ſed non puto, te muſeo nobiliß. pumilionibus ſorbulis cohornare uelle. niſi mauis, ut apud te concreſcant, ac quaſi ſuam adoloſcentiam faciant. Vxori tuæ ſalutem: quàm meis etiam uerbis admonebis: ne Horatio in ludo quicquam fidat, quando in tribus luſtris nos tam vafre feſellit. Vale.*

CVM

B. R. LAZARO SABELLIO S. D.

CVM eſſem in uia ad venetum legatum, ad quem me quotidie uẽtitare plane ſcis, tuæ mihi literæ ſunt redditę. has (ita, ut fit,) in uia legere cœpi. cum uero ad eius ædium ueſtibulum perueni (noſti quàm inæqualiter ſtratum ſit) lectioni etiam dum intentus, ita pedem offendi, ut parum abfuerit, quin præceps corruerem. Eæ mihi tamen nihilo minus gratæ fuere: nihil enim caſus ille mihi quicquam de illarum ſuauitate, qua pleniſsimæ erant, detraxit. Gratulor tibi te ſaluum, atque incolumen domum rediiſſe. Ecquid aliud? multa. ſed quæ non temere ſunt literis committenda. Parmam ad Hippolitum Orium iam multis ante diebus ſcripſi de re non leuiſſima. hunc iſtic cum ſuo Principe eſſe audio. Si me amas, te rogo, ut illum adeas, eique illas literas ita commendes, ut facis, cum quid amice, ac valide commendas: res enim de qua agitur. magni ponderis eſt. mihique, quàm ſi mea eſſet, nihilo minus chara. vt illam vrgeat, ipſum urgebis, ac quo loco res ſit, vt ad me perſcribat, rogabis, meque illi valde commendabis. Vale.

hic iſtas miſerias conſolemur, nosque ad iſtum diſceſſum in Chriſto comparemus. Vale.

B. R. LOLLIO S. D.

BENTIVOLIVS *noſter, ut hoc prò illo, melius habere cępit, iamque ſpes eſt eum poſſe uiuere, ut hac ratione reditum tuum ad urbem tui nobiliſsimi muſei ſtudio commodè differre poſſis. De ſorbis locutus ſum cum meo uillico. is apud uicinum noſtrum, qui plantarijs cuiusque generis optimam operam dat, rectos, ac procera altitudine, caudicis etiam apta craſſitudine notaſſe ſe dicit. illum continuo remitto, ut eas tibi emat. it. redit. refert, pridiè eum eas alij uendidiſſe. puta, ut cõmotus ſim. reliquos eſſe paruulos ad hominis altitudinem. ſed non puto, te muſeo nobiliß. pumilionibus ſorbulis cohornare uelle. niſi mauis, ut apud te concreſcant, ac quaſi ſuam adoloſcentiam faciant. Vxori tuæ ſalutem: quàm meis etiam uerbis admonebis: ne Horatio in ludo quicquam fidat, quando in tribus luſtris nos tam vafre fefellit. Vale.*

CVM

B. R. LAZARO SABELLIO S. D.

CVM eſſem in uia ad venetum legatum, ad quem me quotidie uētitare plane ſcis, tuæ mihi literæ ſunt redditę. has (ita, ut fit,) in uia legere cœpi. cum uero ad eius ædium ueſtibulum perueni (noſti quàm inæqualiter ſtratum ſit) lectioni etiam dum intentus, ita pedem offendi, ut parum abfuerit, quin præceps corruerem. Eæ mihi tamen nihilo minus gratæ fuere: nihil enim caſus ille mihi quicquam de illarum ſuauitate, qua pleniſſimæ erant, detraxit. Gratulor tibi te ſaluum, atque incolumen domum rediiſſe. Ecquid aliud? multa. ſed quæ non temere ſunt literis committenda. Parmam ad Hippolitum Orium iam multis ante diebus ſcripſi de re non leuiſſima. hunc iſtic cum ſuo Principe eſſe audio. Si me amas, te rogo, ut illum adeas, eique illas literas ita commendes, ut facis, cum quid amice, ac valide commendas: res enim de qua agitur. magni ponderis eſt. mihique, quàm ſi mea eſſet, nihilo minus chara. vt illam vrgeat, ipſum urgebis, ac quo loco res ſit, vt ad me perſcribat, rogabis, meque illi valde commendabis. Vale.

B. R. FRAN. ROBORTELLIO S. P. D.

IN tibi Robortelli Frizolium meum, immo vero tuum, quem mihi noua iſta tua conditione eripuiſti: immo vero utriuſq; nam quod ad eius erga me beneuolentiam, nihil mihi etiam ſi ad Indos nauiget, detrahi poteſt: tibi quidem, quod mihi detrahitur accedit eius ſuauiſſima atque amabiliſsima conſuetudo: ſed quando hoc cum ex honeſtiſsima conditione, tum ex te ipſo, à quo magnum lumen in ſuis ſtudijs conſequi ſperat, magnam illi utilitatem allaturũ video, illi magis gratulor, quàm mihi, qui eo cariturus ſum, doleo. Commendarem hunc tibi quantum cum eius optima ſtudia, tum etiam maxima, quæ inter nos vetus intercedit amicitia, poſtularet: ut eum non in recentium, ſed in vetuſtiſſimorum amicorum numero haberes, atq; huic, quæ tuis intimis amicis præſtas, omnia amice præſtares. ſed quando eius ſtudia, atque optima natura id abs te, quanuis duriß. ſis in amicis obſequendis, qui ſumma etiam in alienos humanitate es præditus, facile obtinebũt, hac commendatione ſuperſedendum eſſe duxi: hoc tantum addam, hunc incredibili ardere deſiderio te Pindarum interpretantem audire, ut ſi quid

quid ex eius virtute ad illud ſcribendi genus, ad quod, & natus, & factus eſt, adiungere poſſit, id à te uno adiungat. ſi id aſſequatur, Deus eſt: ſi minus id tibi per tua publica ſtudia licebit, ſaltem quoties licebit, aut in ſermonibus, aut etiam cum à publicis ſtudijs vacabis, non nihil hoc eius tantum deſiderium leuare non grauaberis. Quod ut facias (quod negaram facere me) te vehementer etiam, atque etiam rogo, atque ita omnia eius commoda commendo, ut ſi mea commendarem, propria neque meliori de nota, neque maiori, ſtudio neque ponderoſioribus literis tibi commendarem, pro quo me tibi omnia polliceor debiturum. Vale.

B. R. VINCENTIO CARTARIO S. D.

HUC omnium literis, atque nuntijs affertur, te in ea apud Cardinalem tuum Hippolytum Ateſtinum, qua quis alius maxima, eſſe gratia: quod quoniam neque à tua virtute, neque ab eius iudicio, qui magnus eſt hominum æſtimator, diſcrepat, eo omnes, quod etiam mirum in modum cupimus, ita eſſe ſine ullo dubio ut credamus, facile inducimur.

Quare

Quarè tui omnes Rondanelij, Madij, Gualenghij, Martelij tibi valdè gratulantur. ego verò in primis, atquè adeo ante hos omnes. nàm iſti veteri neceßitudine, atque tuis ergà illos minimè vulgaribus officijs id facere tenentur. equidem pro ijs paucis annis, quibus amamur inter nos, ita iſta tua fortuna amicè affectus ſum, ut non concedam, quenquàm, quàm egò fecerim, inde maiorem voluptatem percepiſſe. Sed uide, ut nos homunculi ſumus, hoc eſt, rerum omnium ignari, quod nos aliquando grauius dolere nequiuimus, eo nũc lætius exultare nõ poſſumus. Deos omnes, qui fortunã tuam in hunc curſum direxere, ut eam in eo perpetuò ſeruẽt, atq; ut res tuas in dies magis ſecundent, rogo, atque oro. Vale.

B. R. SVLP. TOMBESIO S. D.

IOCABAR *equidem Sulpiti, cum tecum de tuis regijs condimentis ad manus cõmolliendas, atq; delicatius conſeruandas, nudiuſtertius agebã. Quid. n. ſeni cum illis ad ſuas, quas ſæpius nudas habuerit, atq; in opere, non illo quidẽ ruſtico, ſed familiari verſatas continuerit? quo ſi non ſint callis obductæ, ſaltem aliquam duritiã, certe iam creberrimas rugas contraxerint? ſed id tamen placuit experiri. vixque (mirum) ſemel eo manus mihi unxi, atque leuiter liui. cum*

eius virtutem, atque præſtantiam ſenſi. continuo enim vel olerina pluma, atque infima auricula molliores, atque teneriores ſunt facta. Cutis verò ita ſe tetendit, atque dilatauit, ut Codicilli non tam expoliti, atque explanati ſint. cui tui ſummæ virtuti ſummus, ac mirificus odor accedit. vt ſiue tactu, ſiue ad olfaciendum iam regias manus habere videar. Vtinam verò, quod cuti extrinſecus iunioris aſpectus tuum iſtud attulit medicamentum, interius etiam ad ſanguinem eius virtus penetraret, huncque in venis renouaret. Sed alia ratio eſt eorum, quæ ſimulari, atque fingi poſſunt: alia eorum, quæ nullam ſimulationem accipiunt. Cani quidem tingi, rugæ in fronte ad aliquod tempus probe diſſolui poſſunt. natura tamen interius, nullo artificio reprimi poteſt, quin ſecreto ſuum curſum conficere pergat, ac quanto longius procedit, tanto magis de noſtris viribus nobis detrahat, atque diminuat. ſed ad rem redeo. Ego pro tuo iſto elegantiß. munere mirificas tibi gratias ago. atq; ſi quid unquam amplius valeam, eius quoque optime recordaturus. Vale.

B. R. OCTOBONO. S. D.

FRANCHINVS Lenzolius me tuo nomine ſaluere iuſſit, quod cùm per ſe mihi iucundum fuit, tùm etiam multò iucundius

dius accidit, quòd is mihi eam ſalutem, ità amãter, atque peramice dixit, ut me ſuo illo ſuauiſſimo ſermone totum ſibi deuinxerit: præſertim cùm tui ſe omnium ſtudioſiſsimum eſſe demonſtrarit. gratulor tibi honeſtiſſimam conditionem meliorem etiam propediem expectans. Tu verò intereà (vt facis) in iſta politiora ſtudia incumbas: neq; ab optimis ſcriptoribus, hoc eſt à Cicerone, Cæſare, Terentio, Virgilio, Horatio, & ſi qui ſunt eius generis alij tuis auditorib. interpretandis quicquam diſcedas. in primis autem ab eorum imitatione eos ne verbum quidem abduces. verſentur alij per nos quidem licet, in Apuleijs, Philelfiis, Mancinellijs, & reliquis eius ordinis ſcriptoribus, nos in paucis ijs omne noſtrum ſtudium, atque adeò in uno quouis horum occupemus, à quo plus utilitatis, atque gloriæ, quàm à cæteris omnibus ſumus comparaturi. Vale.

BARTH. RICCII LVGIEN. EPISTOLARVM LIBER IIII.

ANDR. CORNELIO CARD. B. R. S. D.

PVTABAM *equidèm, ut etiàm Paleſtinio noſtro dixeram, me, vt te Cardinalem factum eſſe audiſſem, nouo, atque inuſitato gratulandi genere tecum uſurum. id enim, & ſingularis amor erga me tuus, & mea in te perpetua obſeruantia, ac fides integerrima iure æquiß. poſtulabat. Sed cùm id nunc præſtare conarer, aliter mihi, atque antè putaram, euenire ſenſi. tanta enim iſta ſumma dignitatis tuæ acceſſione ſum letitia affectus (probè enim noſti, quàm ego meos molliter amem) ut non ſolùm id nullum præclarum gratulandi genus potuerim aliundè eruere, ſed illud etiam, quod maximè vulgare eſt, mihi prorſus exciderit. Quare id, quod res eſt, tecum cogita, me, quod verbis non queo, tuam iſtam ampliſſimam dignitatem tibi ex intimo animo, atque verè gratulari: neque ea vel tuorum quenquàm, quàm ego faciam, magis lætari. hoc vero, quod poſſum non omittam: ut*

Deum opt. max. rogem, atque omnibus precibus orem, vt iſtum tuum cardinalatum ſic tibi fortunet, ut is ad reliquum, qui unus ſupereſt, dignitatis ampliſsimus, cumulum te fœliciter prouehat. Vale.

B. R. GEOR. CORNELIO S. D.

NE puta Georgi, quod cum Andr. Card. fratre tuo facere nequiuerim, me tecum id facere poſſe: hoc eſt, ut tibi eius ampliſſima dignitate mirificè gratuler. omnem enim digniorem gratulandi rationem ea lætitia, quam ex eius Cardinalatu percepi, ualdè ſuperat. Quarè tibi ſatis erit, ſi tecum uſitato, ac vulgari gratulandi genere utar. Tibi igitur, atque etiam Marinæ matri tuæ præſtantiſsimæ fœminæ ualdè gratulor: quod ipſe ab altero patruo in fratre chariſſimo: illa verò in filio, in cuius amore omnes matres ſuperauit, tantam eã dignitatem retentam, ac quaſi hæreditariam relictam videatis. Quam veſtram ſummam voluptatem Deos omnes non ſolùm, ut diuturnam vobis conſeruent, ſed etiàm cum multis alijs ſuo cumulo, ut augeant rogo, atque oro. Vale.

B. R. PHI. CAR. GISLERIO XL. VIRO S. D.

SI mihi per Camilli filij inualetudinem licuiſſet, id coràm feciſſem, quod nunc per literas facere cogor. Quantum ego Fuſchiniũ virum cum maxima in iure ciuili ſciẽtia, tum ſumma totius vitæ integritate, meum præterea ciuem, & veterem amicum diligam; hoc, quod tecum, atque cum aliquot tuis collegis eius cauſa facio, omnibus indicio eſſe poteſt. Hic in eorum albo ſcriptus eſt, ex quibus vos ueſtros quinque iudices (quam rotam dicitis) de more poſtea decernitis. multos quidem competitores habemus grauiß. ac prudentiß. viros, tamen ſi tu con cæteris noſtris amicis xl. viris huic honeſtiſſimæ petitioni noſtræ non defueris, non dubito, quin inter primos renuntiemur. certè ſi virtute, atque iuris prudentia, non autem ambitione certemus, iam facti ſumus. caue enim putes prudentiorem, aut magis probatum virum, (quod cum cæterorum probatißimorum virorũ bona gratia dictum volo) in iſtum iudicum ordinem decernere poßis. Verum ſi omnino ambiendũ ſit, qui mos ab uſque maioribus noſtris ſeruari ꝑgit. ſuffragatores habemus opt. viros, atq; gratioſos homines collegas tuos nõ pauciores. quib. ut te addas, te etiam atque etiã valde rogo. qui po-

 ſtea

Deum opt. max. rogem, atque omnibus precibus orem, vt iſtum tuum cardinalatum ſic tibi fortunet, ut is ad reliquum, qui unus ſupereſt, dignitatis ampliſsimus, cumulum te fæliciter prouehat. Vale.

B. R. GEOR. CORNELIO S. D.

Ne puta Georgi, quod cum Andr. Card. fratre tuo facere nequiuerim, me tecum id facere poſſe: hoc eſt, ut tibi eius ampliſſima dignitate mirificè gratuler. omnem enim digniorem gratulandi rationem ea lætitia, quam ex eius Cardinalatu percepi, ualdè ſuperat. Quarè tibi ſatis erit, ſi tecum uſitato, ac vulgari gratulandi genere utar. Tibi igitur, atque etiam Marinæ matri tuæ præſtantiſsimæ fæminæ ualdè gratulor: quod ipſe ab altero patruo in fratre chariſſimo: illa verò in filio, in cuius amore omnes matres ſuperauit, tantam ea dignitatem retentam, ac quaſi hæreditariam relictam videatis. Quam veſtram ſummam voluptatem Deos omnes non ſolùm, ut diuturnam vobis conſeruent, ſed etiàm cum multis alijs ſuo cumulo, ut augeant rogo, atque oro. Vale.

S. R. PHI. CAR. GISLERIO XL. VIRO S. D.

SI mihi per Camilli filij inualetudinem licuiſſet, id coràm feciſſem, quod nunc per literas facere cogor. Quantum ego Fuſchiniũ virum cum maxima in iure ciuili ſciẽtia, tum ſumma totius vitæ integritate, meum præterea ciuem, & veterem amicum diligam, hoc, quod tecum, atque cum aliquot tuis collegis eius cauſa facio, omnibus indicio eſſe poteſt. Hic in eorum albo ſcriptus eſt, ex quibus vos ue ſtros quinque iudices (quam rotam dicitis) de more poſtea decernitis. multos quidem competitores habemus grauiſſ. ac prudentiſſ. viros, tamen ſi tu con cæteris noſtris amicis xl. viris huic honeſtiſſimæ petitioni noſtræ non defueris, non dubito, quin inter primos renuntiemur. certè ſi virtute, atque iuris prudentia, non autem ambitione certemus, iam facti ſumus. caue enim putes prudentiorem, aut magis probatum virum, (quod cum cæterorum probatiſſimorum virorũ bona gratia dictum volo) in iſtum iudicum ordinem decernere poſſis. Verum ſi omnino ambiendũ ſit, qui mos ab uſque maioribus noſtris ſeruari ꝑgit. ſuffragatores habemus opt. viros, atq; gratioſos homines collegas tuos nõ pauciores. quib. ut te addas, te etiam atque etiã valde rogo. qui po-

ſtea petitionem noſtram ueſtra omnium gratia ita foueatis, atque ornetis, ut nullam repulſam feramus. Quod ſi (ut ſpero) mihi conceſſeris, ego tibi polliceor, te nullam unquàm tuam ſuffragationem honeſtius poſuiſſe, neque tuis ciuibus gratiorem operam dediſſe, neq; quenquam unquàm tuis omnibus officijs tibi, quàm hoc me, atque Fuſchinium gratiſſimum virum ſis facturus, obſtrinxiſſe. Vale.

B. R. LANFR. GYPSIO S. D.

EGO Gypſi duos amicos, & Giraldium & Caualcantium hodiè ſumma cũ gratulatione complexus ſum, quòd ille à Principe noſtro in eum numerum delectus ſit virorum, quos habet à ſecretis per paucos: hic uerò inter eos familiares, quos chariſſ. habet, aſcriptus ſit. Tam etſi haud ſatis ſcio, utrum eis magis gratulari debeam, qui tanta dignitate à tanto Principe cohoneſtati ſint, an Principi ipſi, qui præſtantiſſimorum virorum virtute, & prudentia ſic auctus ſit, ut propè magis in quouis alio uiro augeri non poſſet. Sed non eſt hic locus, ut pluribus uerbis eorum commendationem perſequar, tibi præſertim, qui utrunq; optimè noſti. Hoc verò, quod magis ad rem pertinet, non omittam. id autem eſt, ut tua tan-

dem

dem opera fiat, ut contra iſti mihi quoque ex eo, quòd ipſe ex eiuſdem Principis verbis mihi iàm ſæpius es pollicitus, gratulari poſſint. Quo uno iſto tuo officio, & eis dederis, in quo mihi grati eſſe poſſint, & me à Camillo filiolo omni ſolicitudine liberabis. Vale.

B. R. M. ANT. CORNELIO S. D.

CAMILLVS *filius miro deſiderio videndi Venetias tenetur. Flora mater vos viſendi multò maiori æſtuat. ego verò ni quotidiè de vobis, aut loquar, aut cogitem, moriar. Quarè cum illi à me contendere non ceſſent, ut ſe huius tam honeſti uoti compotes faciam, ego verò nihil eis libentius concedam, ut qui in eorum deſiderio mihi magis obſequar, conſtitui in hunc proximum Chriſti aſcenſum cum eis vobiſcum eſſe. Sed quoniam puer etiàm in Pado commouetur, mater autèm nihil magis horreſcit, quàm mare: ciſio iter hoc facere decreuimus. Patauium igitur ad tuos ædium cuſtodes qui nos hoſpitio accipiant, ſcribas te rogo. ſi verò meo aliquo bono fato illic te offenderem, nihil mihi optatius, nihil opportunius accidere poſſet. id enim amplius unà, & eſſemus, & longioribus ſermonibus frueremur. dies autèm aduentus noſtri tertio die ante diem feſtum eſt conſtitutus*

ſtitutus, ut poſtridiè commodiſſimè tecum Venetijs cœnemus. Ariadnæ matri chariſſ. ac Ceciliæ vxori, alteri animæ tuæ noſtro omnium nomine plurimam ſalutem dices. Vale.

BAR. R. HONORIO STELLAE S. D.

VINCENTIVS Madius tuam epiſtolam unà cum eà oratione, quam tu paraphraſim in eam, quam Cic. pro M. Marcello egit, inſcribis, mihi legendam miſit. quarum utranque non ſolùm libenter legi, ſed etiàm valdè ſum admiratus. nam qui iſtorum annorum adoleſcens, ac penè puer tàm prudenter tàm compoſitè, tanque eleganter cribat, magis ſumma admiratione ſuſpiciendus eſt, quàm, ut eius ſcripta libenti animo ſint perlegẽda. Equidèm Stella complures uidi, qui in hoc ſcribendi genere multò, quàm tu es, diutius uerſati ſunt, atque etiam (quod cum eorum tamen bona gratià dictum volo) de principibus loquor, qui non ità tamen, ut tu facis, ſcribunt. Vt miraculum ſit, quòd in ſcribendo tàm paucis annis, tam parua ſcribendi exercitatione, tantos, tanque honorificos progreſſus feceris. Te equidèm hortarer, ut in hanc dicendi facultatem ardentiùs incumberes, ſed id perindè eſſet, atque ſi quis

eum equum impelleret, qui iàm ad metam per-uenißet. Quoniam tamen me tuæ iſtius egregiæ ſcriptionis quaſi auctorem appellas, idque ex noſtris libris de imitatione, quos in manibus aſſiduè te habere ſcribis, uiſus ſum rectè facturus, ſi hoc quoque modo, in quo opus eſſe viderem, tibi non deeſſem. Scito igitur, eam exercendi rationem, qua tu in tua oratione uſus es, ad dicendi copiam certè plurimum valere, ad imitandum non ita. non enim alijs verbis, atque etiam alio ordine, quod alius dixerit prius, perſequi, etiam ſi quid commutes, atque etiam addas de tuo, uere imitationis eſſe uidetur. ſi quidem uera imitandi ratio, aut ex ſimili (ut nos præcipimus in ſecundo libro de imitatione) aut ex contrario ſumitur. Quare ſi me audis, aliud poſthac argumentum tuum capies ad ſcribendum, quod cum aliquo Ciceronis argumento aliquam ſimilitudinem habeat. ut ſi tu cuipiam ſumma aliqua eius ſecunda fortuna gratuleris, ita exordiaris, ut Cicero pro M. Marcello in agendis Cæſari gratijs facit, poſteà in eius uirtutis egregias laudes digrediaris, atque etiam orationem tuam abunde locupletes. poſtremò ad rem rediens, eam fœliciter abſoluas. Aut etiam ſi magis placet, ut ipſi fecimus in Archiam poetam, aliquid ex eodem tibi libenter proponas, contra quod dictionem

tuam exerceas, ut in ligarium, aut in cęlium, aut, ut nobis in animo fuit, diſſuaſionem legis maniliæ: in qua ut ille Cn. Pompeium, tu contrà L. Lucullum ſummis laudibus exornes: in qua dicendi ratione ſi ſtylum tuum occupabis, mihi crede, breui fore, ut eius ſtudij te minimè pęniteat. Quod meum conſilium, ut pluribus tibi nunc probem, nihil opus eſt, cum id in libris de imitatione planè omnibus comprobarim; indè cętera tibi ſumere poteris, ſi minus hiſce paucis acquieſces. Mitto tibi tres orationes meas, nuper editas. in ijs, quam dicebam, in Archiam: ut videas, qua ratione tu quoque, ſi quid tale aggreſſus fueris, pertractes. tibique perſuadeas velim, me tua iſta virtute, ne quid de moribus, atque totius vitę tuæ ſanctiſſimis inſtitutis agam, habere nihil, quod tua cauſa libentiſſimè nolim. ut ſi quid in me eſt, aut ingenij, aut gratiæ, quo aut tibi, aut cuiquam tuorum uſus aliquandò accidat, eo tàm fideliter utaris velim: quàm ſi ipſe à patre tuo, aut Camillus meus à me ipſo uteretur. Vale.

B. R. IO. BAPT. RHAMNVSIO S. D.

PROXIME *cùm Venetijs eſſem: cum Ber. Nauagerio Senatore opt. ac grauiſſimo viro, de epiſtolarum mearum editione*

editione diligenter egi, is mihi humaniſſimè, quantum ad ſe attineret, eam libenter permittere reſpondit. ſed hanc tamen eandem permiſſionem à Pontificis Legato impetrari oportere, is quoque affirmauit: id quod à Manutio noſtro continuò nobis optimè curatum eſt. audio poſteà permiſſu x. quoque virum opus eſſe: id ſi ità eſt, cuius opera ego apud tantos viros, & fidelius, & facilius uterer, quàm tua, ſi omniũ optio mihi daretur, non haberem: qui eorum ſis tot annos à ſecretis, ego verò te totidèm unicè obſeruem. Quarè te rogo, ut eis fidem tuam, idque tùm ex Manutij, tùm etiam ex filij tui lectione obſtringas, nihil in ijs epiſtolis offendi, quod earum editionem nobis vetare, aut etiàm quicquã retardare poſſit. Pretereà verò, ſi qui d cum Nauagerio etiam agendum reſtat, videlicet, ut permiſſus eius ſcripto extet, te etiam, atque etiam rogo, ut per paulum filium, hoc quoque & agi, & tranſigi diligenter cures. quę omnia ut à te, quæ tua ſumma eſt humanitas, facilè impetrem, nihil dubito. ut verò ea primo quoque tempore impetrem, te valdè rogo. Vale.

B. R. PAV. RAMNVSIO S. D.

MALLEM *te perpetuo, quo cæperas, ſilentio mecum uti, quàm eam cauſam habere,*

habere, quamobrem tandem ad meas multorum menſium literas reſponderes. equius enim tuam iſtam diuturnam taciturnitatem ferre poteram, quàm parentis tui, amiciſsimi mei mortem non feram. de qua ita tamen ad me ipſe ſcribis, ut non ſolum à me nullam conſolationem indigeas, ſed mihi eam non leuem afferre uidearis. quibus rationibus, quas cùm prudentiſſimas, tum etiã chriſtianas adducis, quãdo ipſe filius acquieſcis, qui ego amicus non acquieſcam? Ille quidem ſatis matura ætate (quando omnino decedendum eſt) deceſsit. at qui vir? qui totam illam vitam cùm in priuatis amicorum, tùm in publicis iſtius magnificentiſsimæ reip. officijs integerrime peregit. vnde etiam cum eo nunc quoque optime agi pro certo tenendum eſt, cui pro tot benefactis par à Deo in eius regno gratia referatur. Equidem unum illud mea cauſa doleo. quod quandiu quatuor annis me præcedebat, tot ego ſemper mihi, quaſi iure meo poſſe viuere, promittebã, ac quanto me diutius uiuendo anteceſsiſſet, ego quoque in eius vitæ curſu meam vitam producere videbar. nunc uerò cum ad eius annorum numerum peruenero, ad meum perueniſſe, ſuſpicari potero. ſi quid tamen eſt (quod facere negaram) quod cæterorum cùm parentis, tùm etiã tuorum amicorum officijs à me accedere poſſit, id ego tibi ita ſedulo polliceor, ut cætera uerè,

atque ſincere cum amicis facere ſoleo. quæ tantum abeſt, ut beneuolè præſtem, ut quæ ipſe uideam mea ſponte in eos conferre non omittam. Vale.

B. R. IO. MARTINO PEREGRINIO
S. D.

QVANTAM mihi voluptatem tuæ attulerint litteræ, ne expecta, dum dicam. præ gaudio ad nomen tuum lachrymæ mihi exciderunt. de te enim cum tot annos nihil neq; à te, neque à quoquam alio audiſſem, vereri interdum cogebar, ne in iſtis tuis Aſianis ſcripturis deceſsiſſes. vt vero te incolumem eſſe, idque à te ipſo cognoui, Dij boni, quo non ſum gaudio affectus? O mi ſuauiſſime Peregrini, ò mi vetus, ac fideliſsime ſodalis, ut te abſens abſentem libenter amplector. ſed cur, ut hoc multo arctius præſens præſenti facerem, mihi facultatem non dediſti? cur ipſe tuas literas non attuliſti? cur ex iſto tuo municipio tuæ ſcripturæ uel in biduum, quod ſcio à Prętore tuo impetraſſes, non te ſurripuiſti? atque ad nos tui cupidiſſ. aduolaſti? nolo, ne verbo quidem tantã meam letitiã cõturbare. ſed te poſſẽ accuſare, parũ amice feciſſe, qui nõ prius ad me, quã iſtuc acceſſeris, ſcio.n. te breui, idq; etiã cumulatius pſtaturũ. te igitur expecto, ut veterẽ oẽm omniũ rerũ ac conſiliorũ noſtrorũ

memoriam

memoriam repetamus, uſque ad Troiani excidij cauſam, ex quo incẽdio ipſe quaſi alter Æneas nõ à matre Venere, ſed à fideliſſimo amico ereptus fuiſti. qui verò riſus in teſtis illis Naſonianis? ſed reliqua in aduentum tuum reſeruo. hoc tantum: ex omni illo noſtro amicorum numero me, et Auguſtinum Abioſium, qui nunc Patauinus, ut dicunt, Collateralis eſt, his etiàm auris perfrui. Rotengus, Cochius deceſſere. Rigonius noſti, quid egerit. Iulius in Galliam eo tempore, quo tu in Aſiam, profectus eſt. multa ſcripſit, atq; edidit cum ſumma ſua gloria. arbitror, cupio quidèm certè, eum adhuc viuere. O' noctem illam hectorianam, cùm nobis à lictoribus. ſed te expecto, ut ſecretò omnia agere, atque ſuauiſſ. riſum alter alteri commouere poſſimus. Vale.

B. R. ANG. ANGELINIO S. D.

CAVSA nulla erat, quam obrem mihi vllas gratias ageres, nedùm ullam te referre non poſſe, per literas quercreris. parum enim id, quod tibi præſtiti, atque adeò minimum fuit officij. at maximum fuerit, quoniam tamen id ex meo animo, nullius autèm precibus in te profectum eſt, à nullo itèm ullam relatam gratiam, aut etiàm gratiarum actionem expectare debebat. quicquid cauſæ tuæ profui, mea

ſponte

ſponte profui, ſi qua in meo officio ulli debitio eſt, ea mea eſt, mihi ipſi debeo. verùm id mihi gratiſſimum erit, ſi ita te in Bentiuolio noſtro inſtituendo geſſeris, ut eius parentes ex iſto tuo officio mihi gratias agant: id quod cùm tua, tùm etiam mea cauſa, ut diligentius facias, te etiàm, atque etiàm rogo. Vale.

B. R. DVOB. PHILIPP. BRASCHIO, ET SAVORELLIO S. D.

TANTVM ego vos amo Philippi, quantum vos inter vos diligitis, niſi etiam magis. nam quæ vos cauſa in amore mutuò facere cogit, ſimplex eſt: utriuſque ſcilicet integritas, quæ utrunque tam arcte inter vos coniungit, hæc eadem mihi duplex fit, quando vbi vos tantum alterum, ego duos unice diligo. quare primum vos valere cupio, ſeparatim, aũt Sauorellium, ut cui hoc magis opus ſit, quique nõ ſatis firma utitur valetudine. deinde cras ambos in meum ſuburbanum expecto. vos domo ciſio Durellius tollet. hora vos commodius mecum ſiſtet. ubi læte quandiu vobis libebit, in Socraticis ſermonibus agemus. ubi vero loci ſacietas vos cæperit, continuo in vrbem reuertemini. Ad primam diei horam, vt is cum ciſio vobis adſit, mandaui, volo enim, ut cęlo matutino

iter

iter hoc conficiatis, ne quid ardentioris cœli ſentiatis. Valete.

B. R. PHILIPPO BRASCHIO S. D.

OMNES *quadrageſimæ, vulgo, lungæ & ſunt, & dicuntur, hanc vero tui deſiderium mihi omnium longiſſimam facit. nondum enim ad eius medium ventum eſt, & annus mihi videtur, cum te careo. quantò verò ea tibi longior videri debeat, cui quotidie ſemel, interdum etiam bis, ad ſummum ſudorē concionandum eſt? etſi tuus iſte ſudor in eo magis grauis tibi accidit, ſi te fruſtra laborare, neque verbi tui ſemen radicem, quàm quod in ſaxo iacitur, altius agere vides. contende tamen quātum in te eſt, ut inter iſtos iratos animos concordiam concilies, ut ciuilia iſta odia deponant, ut iniuriam obliuiſcantur, eaque omnia uni omnes deo condonent, qui illis multo plura, & maiora remunerabitur, atque etiam quotidie gratis, atque ingratis elargitur. quid enim indignius dici poteſt, quàm quod municipiolum iſtud ita inter ſe diſſentiat, ut ex duabus portis ſuam quæq; factio poſſideat? altera minime tutò uti audeat? doce principes factionū ne eorum voces audiant, quorum inopiæ, & improbitatis maxi-*

me intereſt, ciuitates inter ſe diſsidere, quorumque paſtioni nihil magis aduerſatur, quàm ocium publicum quàm pax, & ciuium concordia: quos; ſi iſti me audiant, ſi non ex oppido, ſaltem domo ſua eijcient, atque à ſua conſuetudine alienabunt. Vt cum in priſtinam, hoc eſt, Chriſtianam concordiam redierint, nullis iſtorum falſis delationibus, nullo ab hoſtium nouo metu iniecto, quo minus in ea perpetuo incorrupte permaneant, impediantur. Quod ſi tu Dei optimi maximi auxilio efficies, cum omne tui deſiderium mihi leuabis, tum etiam me ſumma lętitia afficies. cum vicinos meos Bagnacaballenſes audiam reſipuiſſe, atque ad rectum viuendi inſtitutum vere rediſſe. quos Lugienſes poſtea ciues mei optime imitabuntur, quibus ego non magis omnia bona, quàm mihi, quam Camillo filio cupio. Si Sauorellio quid interea ſcripſeris, meo nomine illi ſalutem aſcripſeris, cui quid aliud oportunius optem, neque ego habeo, neque ille deſiderat. Vale.

B. R. PHILIP. BRASCHIO S. D.

M ADIVS noſter, ut totum nomen ſuum à quæſtore exegit, VIII. Id. Iunij Brixiam in quatuor menſium vacatio-nem diſceßit, poſteà ad ſuum diem rediturus. Is pridiè quàm diſcederet, cùm prouinciæ ſuæ in al terum biennium prorogationem vidiſſet, tuam quoque vidiſſe mihi narrauit, idque, ut ad te ſcriberem, mandauit. vt iàm nihil de ea timeas, cùm priuatæ puplicam etiàm fidem perſcriptàm intercedere ſcias. Ego magis Venetam peſtilen-tiam metuo, quæ quotidiè ingraueſcit ardētius, atque eò iam peruenit, ut mercaturæ, ludorum conuentus, priuati, publici, ſacrorum etiàm cerimoniæ, atque inſtituta (ut fertur) inter-cepta ſint. rumor prætereà erat, iſque ex quo-rundam literis, quaſi in coloniam ex vrbe, in littora ad duas maritimas turres, quibus vr-bis portus efficitur, magnam hominum cuiuſq; generis multitudinem exiuiſſe: nobiliores in ſuas villas emigraſſe: alium aliò, complures Pata-uium ſe contuliſſe, eamque vrbem, ut ab eius morbi contagione incolumem ſeruent, in primis omnem operam dare. qui morbus ſi ſe in reli-quam Italiam effundat, atque (quod Deus pro-hibeat) latius emanet, non ſolum gymnaſia, ſed

ciuitates penè ſublatæ eſſe uidentur : neque id tãtum in preſentem annum timendum eſt: merces enim, quibus plena eſt vrbs, quasque in vniuerſam Italiam effundit; ita infectæ ſunt, vt magnum periculum ſit, ne etiam ad multos annos hanc item calamitatem quóquo inuehantur, ſtatim commoueant, atque excitent. Sed de his Deus uiderit: nos interea nobis non deerimus. ſi quid contrà ferat ſors, æquo animo, idque in Chriſto ut feramus, probè curabimus. certè in magno periculo ſumus, qui proximum vicinum tanta peſte laborantem habemus, atque eò magis, quòd non ea cura à nobis adhibetur, qua opus eſſet, ne in noſtros fines ea labes irrepere poſſet. De conſtituto noſtro iſtuc itinere, in dies ſingulos noui aliquid obijcitur, quo ab eo me retrahã. quin etiam ſi in uia ſim, ut me domum referam, cogere poſſit. ſi tamen per temporum rationem nobis licebit; neque curationi noſtræ rei Flaminiæ, neque tibi deerimus. certè ſi Lugum proficiſcar, non omittam, quin ad te quoque Fauentiam accurram. Vale. Dùm hæc ſcribebam renuntiatur Mantuæ tantam uim calamitatis cælo demiſſam, ut etiam tegulas ædium omnes perfregerit, idque tantum, quantum eſt vrbis circuitus, in agro parum admodum damni factum eſſe. iterum Vale.

B. R. NICOLAO ZANELLIO S. D.

SERVATOR *Aliotius meus vetus eſt familiaris. hic iſtuc Locatellij Sobrini ſui pacis conciliandæ cauſa acceſſerit. quæ res etſi nullam difficultatẽ habet, ſi tua tamẽ auctoritas acceſſerit, teq́; quaſi ſecundũ pacificatorem adhibebis, multò cũ facilius, tùm etiàm firmiori fide cõſtituetur. Equidem nihil dubito, quin, quæ tua ſumma eſt bonitas, in tali negotio vel tua ſponte omnia, quæ ad pacem hanc conficiendam pertinent, ſis ei præſtaturus. ſi quid tamen iſti tuo optimo animo addi poteſt, ut mea cauſa id addas, te etiàm, atque etiam rogo: neque ſinas, Aliotium ad nos redire, niſi pace, & confecta, & omnibus æquiſsimis cautionibus, probè confecta. id mihi erit, quàm gratiſſimum. Aliotiũ verò virũ gratiſs. tibi in perpetuũ obſtrinxeris. Vale.*

B. R. NICOL. ZANELLIO S. D.

CVM *tibi Aliotium commendabam, videbam te illi omnia, quæ ad pacis conditionem facerent, idque cum tua animi integritate, tùm etiam amicitiæ noſtræ cauſa eſſe præſtaturum. Nunc verò Aliotius multa mihi refert, quæ illi extra pacificationem iſtã & policitus es, & feciſti. quibus ille multò magis*

giſ ſe tibi obſtrictum eſſe, quàm iſta pacis confectione, quà in perpetuum tibi debebit, ingenuè fatetur. Ego verò nunc (quia ità mos eſt) tibi ingentes gratias ago, cùm verò caſus ferat, etiam multò maiorem relaturus. Vale.

B. R. FRAN. RACCHIO S. D.

TOT ac tantæ neceßitudinis cauſæ mihi cum Io. Baptiſta Minadoio prudentißimo, ac fideliſſimo medico intercedunt, ut nihil habeam, quod eius cauſa non libenter velim, eius enim uxor illum mihi arcta affinitate coniungit, merita in me, & officia cum multa, tum etiam maxima me illi obligatum, obſtrictumque tenent. mores autem, virtutes, ſtudia, ac viri bonitas multo his omnibus me illi coniunctiorem, atque obſtrictiorem efficiunt. quibus rebus, ut quod res eſt, planè fatear, ego ſoleo, ſi quid odorem, quod aut ad eius dignitatẽ, aut utilitatem aliquam pertineat, mea ſponte in illum conferre. Is à me nunc ultro etiam, atque etiam magnopere contẽdit, ut meis iſtic amicis, tibi vero ſeparatim, nouo quodam commendationis genere, cauſam ſuam primo quoque tempore commendem: quod quoniam ego nullum habeo, quod depromam, ac de officio meo multum ille petendo detraxerit, cui ego à me omnia præ

ſtare ſoleam, tuum erit curare diligenter, ut, & ille rectè de meo ingenio ſperarit, & ego meum dolorem aliquo modo leuem, qui non, quemadmodum ſoleo, mea ſponte, & voluntate, ſed coactus hoc illi officium præſtem: id autem effeceris, ſi per te unum, quod à multis petimus, impetrabimus. Is Racchi maximè cupit in Camilli ciuis tui locum deligi, qui cum Nicolao Mutinenſi iſti ciuitati medendo præſto adſit: qui valetudinem ſuis conſilijs uobis uniuerſis perpetuã ſeruet, aliquo autem vitio etiam affectam ſuis pharmacis recuperet: id quod optime facere dicit, quemadmodum ego in uxore mea Lugi planiſſime ſum expertus. diligens eſt, aßiduus, ſi quis alius, medicus. nec qui à veterum, eorumq; optimorum medicorum inſtituto quicquàm decedat. Accedit ad hæc quod ea vir eſt integritate, atque animi probitate, qua qui optima. neque homo infacetus, atque inurbanus, quod etiam ægrotos aliquid delectare poteſt. Scio Racchi hoc, quod abs te peto, ciuium tuorũ ſuffragijs eſſe decernendum, quorũ voluntates difficile eſt pernoſcere: tamen ſi te non ſolũ gratioſum ciuẽ, ſed virum etiam opt. ſuffragatorem habebimus, nihil dubitamus, quin facile decernamur. Quare mi Racchi non à te iam peto, ut mea cauſa petitionem hanc ſuſcipias, tuearis, ornes, atque omni ſtudio, cura, diligentia, gratia, contendas

tendas, atque labores, ut decernamur; ſed ut prorſus decernamur, peto, atque poſtulo. multa equidem beneficia abs te accepi, multa etiam atque maxima expecto, verum in hoc uno omnia mihi cumulatiſſime te eſſe præſtaturum, tibi etiam, atque etiam perſuadeas, velim. Præterea, ſi quid hoc ad rem attinet, medicum honeſtiſsimum gratiſsimumque hominem tibi in perpetuum deuinxeris. Vale.

B. R. IO. ANT. RONDINELLO. D.

CHINANVS Blondius antiquæ probitatis ſacerdos, ſuperioribus diebus deceſſit. huius (quod beneficium dicunt) quod eius maiores ſibi, ac ſuis proprium inſtituere, Ioannis Pauli Blondij Chinani patruelis filio venit. nulla controuerſia eſt, quin præſentis quoque anni eius fructus veniant: Baldaſar tamen Blondius eius familiæ cum ſenior, tum etiam locupletior, eos fructus apud ſe habet, negatque ex teſtatoris Chinani ſententia cuiquàm, niſi eius matri anui in uictum ſe eſſe redditurum. Ioannes Paulus vir probatiſs. atque etiam in ſumma egeſtate conſtitutus, humaniſſimè cum Baldaſare per propinquos, affines, amicos agit, ſi ſine iudicio res cõponi poſſit.

quare me rogat, ut ita tecum agam, ut ſoleo facere, cum quid ago diligentiſsime, ut cauſam hanc ſuſcipias. cum Baldaſare, apud quem te plurimum valere ſcit, colloquaris; eumque doceas, quid ius, quid honeſtum, quid propinquitas poſtulet. ne cum ab alienis optimè audiat, à ſuis male audire ſtudeat: ac quod iure coactus poſtea ſit ei redditurus, nunc volens, ac beneuole reddat. is has literas tibi reddet, ac cauſæ ſuæ æquitatem pluribus exponet. mihi pergratum feceris, ſi mea quoque cauſa aliquid ei honeſtati addidiſſe te demonſtrabis. quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

B. R. IO. HIERO. RAVANIO S. D.

EGO Philippum Sauorellium concionatorem Franciſcanum, ut alterum filiũ amo, eſt enim ætate adoleſcens, ſed prudentia & integritate, atque horum ſtudiorum cognitione vel natu maximus. hunc Abbas tuus Lauredanius hoc anno delegit, qui tuis municipib. ſuis ouibus euangelij cibum publicè ſuppeteret. Quoniam verò non ſatis firma utitur valetudine, ſummuſque labor eſt quotidie eo modo ad populum dicere, ſi quid illi interea grauius acciderit, quo minus laborem ferre poßit, te rogo, ut cùm ei in cæteris rebus nuſquàm de-

fueris

fueris, inprimis hac una ei proſpicias. ne feras ægrotantem, ac languentem ſuggeſtum aſcendere: noui equidem hominem, ut officio ſatisfaciat, inualetudinis ſuæ nullam rationem habebit. Quare periculum erit ne dum lucem æternã cęteris aperit, hæc illi humana occludatur. Quod verò ad te attinet, ſi is, quod cupio, æque valebit; caue diem ullum intermittas, quin eum publicè audias, atque etiam priuatim cum tibi per clientes tuos licebit, ad eum adeas, atque cum eo colloquare. ſemper enim in fide firmior domũ redibis. Duas leges habemus, alteram ciuilem, hac tu clientibus tuis præſto aderis, alteram Dei opt. max. in hac ille tibi nuſquàm deerit. V.

B. R. IO. HIERONYMO RAVANIO S. D.

GAVDEO iudicium meum mediusfidius cũ veſtro omnium, atq; præſidis veſtri optimĩ viri Lauredanij conuenire, qui quem ſuperiori anno Chriſtianũ concionatorem habuiſtis, quem ego tibi commendaui, hoc quoque anno omnium ſententia depoſceritis. In quẽ cum iſto veſtra ſponte ſitis omnes affecti animo, nihil eſt, quod commendationem meam tibi renouem. tantum te hortabor, ut eum aſsidue audias, tanta enim ſegetis noſtrę luxuria eſt, ut

niſi uſque illam ſarculo excindamus, continuò agrum totum occupet, bonamque frugem opprimat. Quare publici iſti quaſi Chriſti vinitores quaque verſus mittuntur, qui quo tempore reliquę vineæ putantur, Chriſti quoque vineas amputent. tametſi quiſque ſuæ putator eſſe debet, neque unquàm falculam deponere. Sed quod negaram me facturum, eum tibi Chriſtianæ etiam, atque etiam commendo. Vale.

B. R. IACOBO SORBIO S. D.

HAC, quæ aduentat, quadrageſima Philippum Braſchium ex diui Franciſci familia concionatorem Chriſtianum habebis, virum eũ quidẽ, qui quæ tibi, atque tuis municipibus ex ſuggeſtu præcipiet, ſuo etiam exemplo ſit comprobaturus. Sed ſi hoc nimis videtur, ſanè virum integerrimum, & in eius facultatis ſcientia erudițiſſimum habebitis. Quare te hortor, ut primum nullum diem intermittas, quin eum publicè audias, deinde etiam quoties tibi ocium erit, priuatim ad eum ipſum adeas. nunquàm enim domum (mihi crede) inanis redibis. ſemper aliquid, ſi minus noui, certè magis confirmati auferes. hunc tibi non commendo, nam cum eum noueris, ſpero te eum in tuis intimis perpetuo habiturum, atque cæteris, ſi quid opus ei ſit, probe cõmendaturum. Vale.

B. R. IO. BAPT. ZAVARISIO S. D.

QVI tibi has literas reddidit, meus perfamiliaris eſt adoleſcens, & bonis moribus, & rei militaris minime ignarus. iſtic negotia habet honeſtiſſima, in quibus quicquid à tuo officio illi opus erit, ut ei præſtes, te etiam atque etiam rogo, in primis autem, ut, quo breui tempore iſtic aget, more militum, ſecum arma ſua ei ferre liceat. quorum utrunque ſi à te impetro erit mihi valde gratum. Vale.

B. R. ANT. FERRARIO S. D.

TE equidem Ferrari ex tuis ſtudijs mea ſponte antea ſemper dilexi, ſed cum iunior Racchius proximè ad me eſſet, ea ipſa ſtudia ita mihi probauit, tuum vero erga me animum ſic teſtatus eſt, ut te valde amare cæperim. nunc verò, ut literas tuas amantiſſimè ad me ſcriptas perlegi, ea erga te amoris acceſio facta eſt, ut tuorum in te amando nemini concedā, certe cum te audirem libenter vetera ſcripta mea legere, ut haberes etiam ex eis, quę quotidie ederentur, mihi curandum eſſe duxi. itaque tibi eam epiſtolam miſi, quam ad Herc. Ateſtium Principem meum de eius familiæ nomine ſcripſi,

ubi

ubi de prænomine, nomine, cognomine multa fortaſſe minimè inepte diſputantur. Sed puto nondum eam tibi redditam fuiſſe. nihil enim de ea ſcribis, quod meum deinceps inſtitutum integre ſeruabo. nunc autem habe orationem, qua Abrauanelliũ Iudæum capitis reum apud Principem meum, atque adeo cui inſidias ſtruxiſſe accuſabatur, defendi, atque abſolui. Vale Fabrio noſtro, Abioſio, Camillo, Racchijs utriſque ſalutem meo nomine impertiare.

B. R. IO. BAPT. BOVIO.

CAVSAM *tuam, ut coram tibi receperam Sarachio diligenter commendaui. is mihi retulit, ſe cum Pr. de ea accurate ægiſſe. ſed eum cum multis alijs grauioribus de rebus feſſus eſſet audiendo, cauſam tuam cum multis alijs in aliud tempus reieciſſe. continuo verò Mutinenſis profectio ſecuta eſt, ut antequam ad nos redeat, de ea nihil conſtitui poßit. omnium quidem Principum literæ apud Pr. meum magnum pondus habent, verum ſi me audies, Roma aliquas curabis, ut habeas, quæque purpureo atramento ſint conſcriptæ. multo quidem illæ erunt ponderoſiores, quęque cauſam tuam tibi breui explicabunt. Quod à me ſperes, parum id quidem eſt nimis. certè quantum quantum id erit, eam operam dabo, ne quid eius à me deſideraſſe videaris. Vale.*

B. R. BAR. SALIO. S. D.

EQVIDEM Sali non vt optimo equiti tuo ſatisfacerem, qui vitæ ſuæ elegantiæ, ac Muſei dignitati paria omnia cupit, ſed ne tibi, cuius cauſa omnia volo, in re tam faci li minimè ob temperarem, in eius ſententiam hæc, quæ vides, epitaphia conſcripſi. Si ea omnino pa rum arguta ſunt, ac multo minus ſalis habent, quàm ille in ſuis literis cupere videtur, quique in te ſali eſt, id meo ſubagreſti ingenio atque illepi dæ orationi attribuas licebit. Verum ſi quę animi alacritate, atque ſumma voluntate, facta ſunt, quicquam ſpe ctes, omnem omnium elegantiam, atque argutiam facile ſuperare poſſunt. Vale.

B. R. OCTAVIO ABIOSIO S. D.

PROMISERAM tibi, cnm apud pa- trem tuum proximè eſſem, ut domum re diſſem, te quoties ad me ſcriberes, nun- quam muto ſcripturum; meque meo ita ſtilo tuũ ſtilum non parum eſſe adiuturum. Vide nunc ut non ſolum id tibi præſtem, ſed etiam primum lo- cum ad ſcribendum occupem. etſi nihil aliud ha beam, quod tibi ſcribam, niſi ut te magis ad ſcri bendum inuitem. nam cum te ſciam parum in

hoc

hoc ſcriptionis genere verſatum. atque in opera quam parenti das in ſcribendo Italico ſermone occupatum, veritus ſum, ut mihi fidem præſtares, quare hoc modo quaſi prouocatus diu tacere non poteris: ſcribas omnino, aut ſi quid habes politiori ſcriptione dignum, aut etiam quicquid in buccam, modo ſuis delectis, proprijs, atque uſitatis id facias verbis. neque te à ſcribendo deterreat, ſi, quæ orationis lumina in elegantioribus ſcriptoribus cognoſcis, ea in tua ſcriptione minime agnoſcas. aliud enim eſt aliorum ſcripta cognoſcere, aliud eorum modo ſcribere. neque dubita, quin, ſi non breui, ſaltem non multos poſt annos, ſi ſtilum exerceas, qui optimus eſt ſcribendi magiſter, multum ſis profecturus. res omnes paruis initijs oriuntur, ſtudio tamen ad ſuam perfectionem creſcunt. patrem habes, qui te multa, quæ ad hanc ſcribendi rationem pertinēt, docere poteſt. Sed mihi crede: niſi volumina ſcripſeris, niſi libros confeceris, niſi aſſidue eris in ſcribendo, atque calamum contriueris, tu quidem de aliorum virtute rectè iudicabis, certè nunquàm polite, atque eleganter ſcribes. Expecto ſcire quid tibi uiſum ſit de noſtris libris de imitatione, ac quid ex eorum lectione auctior, atque certior factus ſis ad ſcribendum. Hactenus de ſtudijs. De tuo verò in tantum parentem tuum ſumma obſeruantia non dubito quin

meam

meam expectationem, atque adeo promiſſionem tuam ſis ſuperaturus. ſed currenti tamen (ut aiunt) calcar. Mi Octaui natu maior es ex quinque fratribus, hoc eſt, qui cæteris quaſi viam, quam inſiſtant, aut etiam tecum ineant, commonſtres. ſi in rectam illos induxeris, ijs ſimul unà tecum optimè conſulueris, ſin ſecus tuo exemplo in peiorem ingrediantur, tuo errore eorum errorem multo effeceris leuiorem. quos continuò maiorẽ fratrem ſecutos excuſabimus. Non poſſũ literis omnia, quæ coràm facerẽ, atq; adeo paulo ante feci, percurrere. in mentẽ tibi ea reuoca, quæ poſtremò tecum habui, atque quaſi ad eorum regulam omnes tuas actiones guberna. quod ſi effeceris, nihil dubito, quin vir factus mibi omnes gratias quotidie agas, qui tibi, quæ ad omnem cùm utilitatem, tùm etiam dignitatem tuam pertinent, paterne demonſtraui. noli tibi deeſſe, cui neque etiam paterni amici uſquam deſunt, atque maturis eorum pręceptis, quàm tuæ præcipitis adoloſcentiæ impulſibus magis obtempera. Vale. Ferrariæ No. Octob. M D L X II.

QVANTO

B. R. SEBASTIANO BRICCIO S. D.

QVANTO magis prudentiam tuã conſidero, tanto eam maiorem eſſe video. ego putabam, mihi ſatis eſſe, ſi ad Taſſonianum filium ſcriberem. ſed ipſe rectius vidiſti, ut is eo poſteâ modo apud parentem ageret, quo optime fecit. Sed quoniam ſummæ tuę prudentiæ parem noſtri amorem ſignificas, ut illa tibi valde gratulor, ita in eo reſpondeo, ut ei facerem, à quo me valde obſeruari ſcirem, ac ſi unquam idoneus mihi locus detur, ut hoc cum cęteris intelligas, ſum optime præſtaturus. De reliquo autem negotio nihil dico, ne cùm prudentiam tuam, tum etiam amorem ergà me tuum grauiter offendam. Vale, ac Taſſoniano adoleſcenti, quin etiam parenti ſalutem plurimam meo nomine dixeris.

B. R. SEBAST. BRICCIO S. D.

ETSI modeſtia tua mihi multo ante in omnibus tuis actionibus valde perſpecta erat, nunc tamen multo notior eſt facta, cum neque quod amici de tua animi integritate prędicent, equo animo feras. ac quod ad me attinet, qui, quia eam aliquando vix attigi, tam ingenue conqueſtus es, nihil aliud dicam, quàm

quòd

quòd qua me epiſtola ſubaccuſas, eam melius cauſam meã tueri nequiuiſſe. hæc.n.meam tui cõmendationem non ſolum comprobat, ſed etiam auget. nam, quòd ad ſtudia, atque ad ſcribendi genus elegantius, quod tu fortaſſe non eo contentus, ullum in te eſſe negaſti, id ſecus eſſe tua illa epiſtola probe teſtatur, quę & argumento minimè vulgari, atque inepto, & Latina dictione illa, quæ hodie in paucis reperitur, conſcripta eſt. Vtinã tibi per tot tuas familiares curas, quæ te à matre vidua, ſed multo magis à tribus ſororibus iã natu grandioribus, à tuis optimis auferunt ſtudijs, in ea ſtudioſius incumbere liceret. verum ſi unquàm id ocij dabitur, ac te ad ſcribendum conferas, mihi crede, te non fruſtra eam operã eſſe poſiturum. Sed non pergam ulterius de tuo ingenio amice agere, ne in te verè laudando, animi tui ingenuam naturam magis commoueam, quàm ut quicquam gratum faciam. Vale.

B. R. SEBAST. BRICCIO S. D.

VIDE Bricci, quàm propè idem ſimus, quànque parum inter nos differamus, nam ſi tui nominis primam literam demas, meum integrũ remanebit. quid enim Briccius erit aliud, Si b. tollas, quàm Riccius? ut nihil admodum mirũ cuiquàm videri debeat. ſi nos

inter

inter nos tantum amemus, quos primum gentis nomen propè coniunxit. deinde communia ſtudia, atque tot annorum arctior conſuetudo coniunctos tenuit, atque adeo pergit arctius retinere. Si igitur hac quocque ratione, quoties res ferat, nomen tuum a me cõmendare ſenſeris, nihil tibi moleſtię afferre debebit. Gratulor tibi quòd alteram ſororem deſpondiſti. ita Dij faciant, ut in tertię nuptijs te totum breui liberatum videam. Taſſonianum tuum mihi ſaluere iubebis, meoq; nomine hortaberis, ut parenti hanc gratiam faciat, ex qua tamen is maiorem cum utilitatem, tum etiam dignitatem eſt conſecuturus, ut in ſua ſtudia ardentius incumbat. Vale.

B. R. CRISPO FERR. PRAETORI S. D.

Alfonsus Ferrius meus vetus amicus, Mucini vero utriuſque noſtri, propinquus, atque affinis eſt. hic Argentæ olim cædem feciſſe accuſatus, temporum iniquitatem magis vitans, quàm ſe ſontem ſubaccuſans ſua ſponte patria exceſſit. nunc innocentiam ſuam ex vinculis apud te defendit. in qua tuenda multos, eoſque optimos viros teſtes habet, qui ſuo ſanctiſſ: teſtimonio illum liberant. in primis autem duos eius, qui cæſus eſt, fratres, qui iure-

iurando Alfonſum hac omni fraternę cædis ſuſpitione prorſus abſoluit. qui cum hic hac ſolum de cauſa ad publicũ hoſpitium per hanc annonæ caritatem detineantur, ille verò in carcere multis incommodis afficiatur, neque poſt multos dies verbum ullum etiam dum de ſe factum ſit, omnibus præcibus, à me contendit, ut cauſam ſuam ad omnem eius abſolutionem tibi quàm diligentiſſimè commendem. Te igitur rogo, non ut illum abſoluas, quod ipſum iure ipſo te facturum certo ſcio: ſed ut eius cauſam mature cognoſcas, atque ex eius æquitate illum poſtea domum remittas. id quod ſi per me, ut ſperat, neque ego quæ tua ſumma eſt in me benignitas, diffido, impetrabit, ſcito Alfonſum in perpetuum tibi eſſe debiturum: me vero iſtud officium tuum omnib. alijs tuis officijs ante eſſe poſiturum. Vale.

B. R. PAV. MANVTIO S. D.

SCRIPSI ad Coradiũ, ut de epiſtolis meis edendis, tecum ageret, cauſamque, quàmobrem id eum rogaſſem, etiã aſcripſi. nunc idem tecum ago. Quàm ego Manuti à te, quæ ab amico expectari debent, omnia expectare poſſim, tu mihi teſtis es quàm locupletiſſ. qui quanti ego te ſemper fecerim, re ipſa non ſemel expertus es. quod cum ita ſit, ſpe-

ro te, quoque in amore mutuo mecum factūrum, in eo præſertim, in quo meæ vitæ ratio non agitur parua. Vides mi Manuti me iam pridem in ſenium delapſum. neque te fugit, quantum quiſque hanc vitæ diuturnitatem appetat. id enim natura omnibus inſitum eſt. vt nemo emori velit. quod quoniam natura quoque vitari non poteſt. quando quod ſemel natum ſit, ut tandem intereat, neceſſe eſt: eo fit, vt quiſque ſaltem quo poßit ſtudio, etiam ſibi mortuo nomen aliquod comparet. Egregio enim ille penicillo, malleo ille doctißimo, belli gloria ille, ille in pace cõſeruanda, ſcriptor verò ſuis ſcriptis non ſolum ſuam ſibi, ſed alijs etiam prorogat vitam. quemadmodum ego nunc meam ex meis mihi proferre ſtudeo. nihil.n.dubito, quin horum publica lectione in doctißimorũ virorum memoria mei aliqua memoria diutius conſeruetur. Quare nunc xij. epiſtolarum mearum libros ad amicos conſcriptarum edere ſtatui. hi verò, ut ex tuis prelis exirent, multis de cauſis mirum in modũ cupio. primum, ut elegantioribus literarum formis, ut tuæ ſunt, deſcriberentur. Deinde ut à te doctiß. viro correctiores, quàm ab ignariß. alijs impreſſoribus ederentur. Poſtremò ne in maleuolorum voculas noſtra incurreret amicitia. nã cum has aliorum prelis deſcriptas viderent, cõtinuo nos inter nos diſcordare ſuſpicarẽtur. neq;

id

id ſine ſua aliqua facerent voluptate. Quare te etiam, atque etiam rogo, ut hanc mihi gratiã facias, quàm etiam alieniß. quotidie facis. ut ex tuis prelis in vulgum exeant. neque eſt, quòd ſumptui parcas. quantum enim in eam editionẽ impendendum eſſe dixeris: continuo tantum tibi rependam. modo, ut ipſam, quàm primum expediendam cures. ut ſi earum lectione ipſe diutius frui nequeam, ſciam ſaltem, me decedente in ea quoque parte aliquam mei partem, quæ mecum non decedat, remanere. Cum has eram ſignaturus, præſens nuntius ad me venit. qui, ut me de ijs, quæ ante libenter ex fratris tui literis noueram, certiorem feciſſet: id quoque, quod moleſte audiui addidit. te nunquã belle iſtic habuiſſe. Manuti omnia mihi Bononienſia in cælo ſunt: cælum autem iſtud multis in locis peſſime improbatur. fortaſſe naturæ tuæ minime idoneum erit. quare ab iſto, ut à valde peſtifera beſtia, etiam atque etiam cauebis. Fer. vale.

B. R. CAR. SIGONIO S. D.

FALOPII *tui morte tùm tua, tum mea, tùm communi omnium cauſa doleo maxime. tu quidem ciuem tuum tuique amantißimum amiſiſti, ego ſuauiſſimo amico priuatus ſum. cæteri eum medicum, à quo vel in*

morte vitam ſperare poterant, poſthac deſiderabunt. Sed quid agas? natus erat, ei moriendum fuit. at nimis cito. at ſuo tempore, quando qui illi præſcriptus erat, dies uenit. ſed id tamẽ tantum deceſſit, quod erat interiturum. animus vero æternus ſuam propriam, unde prius venerat, cęleſtem ſedem repetiuit. nomen (ſi quid hoc ad rem facit) doctiß. Virorum (ut audio) ſcriptis celebratum, immortalitati commendabitur. Vtinam autem ego unus eſſem, qui inter eos, ut ipſe inter amicos me habebat, numerari poſſem, non meæ erga illum beneuolentiæ deeſſem: quod potui, tamen ei non defui. habe igitur à me hos pauciores endecaſyllabos Hetruſce conſcriptos, Latinos ab alijs, & plures, & elegantiores expectaturus. Vale.

B. R. BERAR. LAVREDANIO S. D.

PRIMVM *tibi gratulor, de primo tuo magiſtratu, etſi tu ſecundo in loco de co me certiorem facis; ita enim rerum ordo poſtulare uidetur. tametſi cum ex tuis ſtudijs, tum etiam naturæ bono multo ante ipſe, quàm iſti ſuis ſuffragijs declararent, ſapiens eras. De commentario vero tuo in tres Cicero-*

nis

nis orationes in Rullum, mihi dono miſſo gratias ago, propediem aliquam etiam relaturus, ſi non tam nobilem, certè quę ex gratiſſ. animo proficiſcatur. Sed redeo ad commentarium. continuò librum aperio, atq; non ad eius (ut fit) initium, ſed ubi iſſe ſua ſponte patefecit. forte aũt id accidit ad centum nonageſimũ tertium folium, ubi tu exponens coaccruare agros, dura locutione Ciceronem uſum eſſe dicis. ſi quidem coaceruare earum rerum eſt, quæ coniunctæ cumulum extruunt: quod ut de agro dici poſſit, non ſatis cõuenit: qui dicendi modus, ut ego eum pauliſper animaduerti, mihi valde arriſit. Nam cum Cicero Rullum inuidioſe ubiq; exagitet: hoc item in loco perargute irridet: non enim ſolum, inquit, emes agros, ſed etiam coaceruabis. hoc eſt, cumulos agrorum extrues. quaſi ſaxa, atque lapides ſi ſint. Aut quia ſupra ad ſexageſimum tertium folium dixit, coaceruatam pecuniam decemuiralem. item ad octuageſimum folium: ante pecuniæ, coguntur, atque coaceruantur, quàm gleba una ematur. ut hoc in loco dixerit, coaceruari agros, quaſi qui ex coaceruata pecunia emerentur. ut non tantum pecuñia huius lege, ſed etiam agros coaceruari viderentur. quæ per riſum, atque iocum in Rullum dicta videntur: placuit hæc, non fortaſſe aliena epiſtolæ noſtræ addere, quæ ſi tibi,

probabuntur, aliquid erunt. ſi minus, nihil moleſte accidet, ſi tecum, atque adeo cum cæteris doctiſs. viris me quoque proteus iſte ſuo riſu fefellerit. Sed penè pretericeram de biblioteca illa nobiliſſima, cui præfectum eſſe te ſignificas. iſtã quoque tibi valde gratulor. video enim eam tuis ſtudijs librorum copiam factam eſſe, quæ non ita cum omnibus communicatur: vnde multa tibi ad tua ſtudia commodiſſime depromas, licebit. Ego cogito totum Aprilem Venetijs apud M. Cornelium Spallatrenſem Archiepiſcopum deſignatum agere. cui poſt parentes, ac fratrem tuum meo nomine ſalutem plurimã dixeris. Val.

B. R. IO. VITRIANIO S. D.

CVM Aloy. Cardinale de communi re hodie ſum locutus. is eo, quo ſolet, letiſſ. vultu mihi reſpondit, nuſquàm nobis eſſe defuturũ. Sed mihi placebat, ut proxime cõſtituimus, ut niſi re prorſus explorata, atque etiam cũ Germanis illis probè confecta, vllum cũ illo verbum faceret. in hanc igitur curam totus incumbes. ut primo quoque tempore utrunque abſoluas. Sed miror, qui diſcedens ad me ſub tuũ aduentum ſcribere promiſeras, etiam dum nihil miſeris. ut neſcio quid ſuſpicari cogar, de eo, quod tecum locutus ſum. præſertim cum de ſum-

mi illius viri nomine me certiorem facere debebas. de meis libris cura, ſi me amas, ut aliquo modo conficiatur, ſi non tanti, ut mandaui, at quanti queas. Vale.

B. R. HECTORI MIROLIO S. D.

GRATVLOR tibi Bartholomeum fratrem tuum apud Alfonſum Principem noſtrum eum locum tenere, quo nemo maiorem, neque digniorem tenet. Sed eo quoque multo magis gratulor, quòd is hunc nobiliſſimũ gradum cum iuris ciuilis cognitione, tum etiam regendorum populorum ſumma obtinet prudentia. Noſti cum hic aderas, ut Prætor ab omnibus bonis optimè audiret, utque in cauſis dijudicandis integre, atque incorrupte ſeſe geſſerit. Caue nunc in totius ditionis adminiſtratione, quando huic omnes cum vrbanæ, tum etiam Prouinciales cauſæ deferuntur, quicquàm à veteri illo ſuo inſtituto diſcedat. Hactenus de fratris tui auctoritate, atque integritate. nunc ad te redeo, atq; ad eum virum, quem à me, cum optimis literis, tum etiam melioribus moribus requiris. qui amici tui Principis Ciuis filios in hiſce humaniorib. ſtudijs inſtituat. hos equidem (ut tecum ingenue agam) multos reperi. ſed omnes omni locupletiſſimæ conditioni ſua ſtudia facile antepo-

nunt. Hoc eſt, qui aut Bononiæ, aut Patauij, aut Ferrariæ, vbi agunt. aliquid in ijs vel laborioſe, quàm alibi ſine ijs otioſiſsime agere malunt. Si quid aliud eſt, quòd mea opera tibi uſui veniat, ſi me certiorem feceris, dabo operam, ne id fruſtra feciſſe videaris. Vale Ferr. x. calen. Octob. M D LXII.

B. R. SYLVIO PORTIO S. D.

IVLIVS *Gaianius mihi refert, te in patriam rediſſe, atque domi, quicquid reliquæ, uitæ ſuperſit (quod longum ſit opto) id apud ciues tuos in otio acturum. Cętera Sylui ante actæ vitæ tuæ omnia prudenter vidiſti. nàm cùm te Venetias admodum adoleſcens, indè Patauium cum tuis Dardanijs, ut optimis ſtudijs operam dares, contuliſti, qui non optimè prouiſum eſt? indè verò doctrinæ tuæ inſigni (de more) ornatus Venetijs medendi artē totam ætatem fœliciter exercuiſti: quod conſiliū qui non ſummoperè laudetur? Quòd verò quicquid indè Lucri feceris, in Bagnacaballenſes poſſeſsiones collocaris, qua prudentia factum ſit, nunc probè conſtat, qui ex earum fructibus ſenectutem tuam omni labore vacuam facillimè alis. hoc verò, quod poſtremum conſilium cepiſti, ut te iſtam viuendi libertatem, atque in ſummum otium vendicares, maturam præ ſe fert pruden*

tiam

tiam. Nauigationem tu quidèm Sylui, quandiu tibi per vires tuas licuit, exercuiſti, in qua etiã tuam maris partem fœliciter percurriſti. ut verò poſteà quàm ille defecere, neque nauis validiores maris fluctus ſuſtinere poſſet, vela deduxeris, teque in portum receperis, omnem tuam prudentiam facilè ſuperat. Quare tibi tuũ iſtud conſilium valdè gratulor, tuamq́ue iſtam domum reditionem magnoperè laudo. Vnum illud non ſinit, vt hoc meo officio perfungar integro, quòd ciues tui nunc magis, quàm anteà ciuilib. diſcordijs laborare videntur. qui etiam in proprias familias teterrimas cædes inducere non dubitant. Sed iſta iſti viderint. ipſe rem tuam ages, atque cum genero tuo, optimo adoleſcente, cum filia, atque cum eius filiolis viues. ſi quid tamen iſtorum animos deſæuire, atque ad ſanitatem redire poſſe ſentias, te hortor, ut te in ijs inter ſe componendis fideliſſ. pacificatorem præbeas, ut non ſolum corporum, ſed etiam animorũ opt. te medicũ probes. non.n.dubito quin tua prudẽtia, tuaq́; illa dicendi uirtute, atq; iſtius ætatis reuerentia, multũ ad eam pacem inter eos conciliandã, quę poſteà in perpetuũ integerrima ſeruetur, ſis omninò profuturus. quod ſi obtineres, nõ tuo, ſed diuino conſilio domum rediſſe prorſus iudicaberis. quandò multò magis ciuium tuorũ concordię, quã otio tuo cõſuluiſſe videberis: ſin ſecus

accidat

accidat, ut obſtinatius ſæuire pergant, neque quicquam audiant, tùm ad te rediens, ſolus in tuis ſtudijs conquieſces. in primis autem animum tuum ad veram Chriſti philoſophiam diriges, atque in ſummo eius in humanum genus collato beneficio cõmoriere contemplando. quo uno diuino ſtudio ita Chriſtianum animum indues, ut quandiù viuas, in ſumma fœlicitate viuas, cùm poſteà deceſſeris, nil tibi moleſtum ſit ex iſtis miſerijs, quæ ſumma fœlicitas ſtultis eſſe videtur durũ exceſsiſſe. hic noſtræ Sylui nauigationis certiſs. eſt portus. hic noſtræ peregrinationis vnus terminus hæret. hoc illud otium, quod nullo motu perturbari poteſt. hanc quietem ſi tibi conſtitueris, rectiſſimè poſteà omnia. Ego, ſiquid de meo ſtatu ſcire cupis, hic ſum in cæteris lætus, in uno eo non leuiter affectus, quòd Principem filium adhuc mihi Gallia retinet, neque, quandò eum expectem, quicquam ſcitur. uerum etiam ſi ſcitur, neſcitur tamen. Sed quid ſi ego iſtic improuiſo adſim, teq́ue cupidiſſimè complectar, mi Sylui, mi Sylui, contrà verò ipſe, mi Ricci, mi Ricci, letiſsimè geſtientes? Tu vero interim non ſolum tuam, ſed tuorum etiam valetudinem cura. Fer. IIII. Non. Aug. M D LVIII.

B. R. FRAN. MARTELLO S. D.

ET Cœli ardor ingens, & mea ætas iam pridem ingraueſcens non ſinit, ut hoc tecum coràm agam.. etſi non multum intereſt, vtrum hoc tecum: an alio faciam modo, quem ſciam eo loco meas literas, quo me etiam præſentem faceres, habiturum. Petrus Angelotius huc per hoc, quod vides, anni tempus, ut priuigno ſuo in iudicio adeſſet, Bononia profectus eſt. Eius cauſam optimè noſti. hic me rogat, ut eam tibi de meliore nota commendem, idque non ad ullam cuiuſquàm gratiam, ut iudices, ſed ut eam tantum iudices, ſeque hac ſumma, atque diuturna moleſtia liberes. Mihi igitur gratiſſimum erit, ſi is intelligat, hanc meam commendationem apud te tantum pondus habuiſſe, quantum is confidit habituram, hoc eſt, ſi illum primo quoque tempore abſolueris. quod ut facias, te etiam, atque etiam rogo. Vale.

B. R. ALOYSIO BARBARO S. D.

TAS literas accepi, Barbare (ut te nunc tuo magis, quàm meo modo appellem) ex quibus multiplicem, eamque omnẽ maximam voluptatem percepi. primùm quià elegantiſſimè

elegantiſſimè ſcriptæ erant, quo ego uno in legen-dis literis mirificè delector, atq; ita, ut nihil mo-leſtius faciā, quàm cùm eius generis literas lego, quæ infantes, atq; omni ele gātiæ ornatu carent. contrà nihil lætius, quàm cū in ijs quæ tuarū ſimi-les ſunt. videlicet, quib. ad omnem rectā ſcriben-di rationem nihil deeſt, meam lectionem occupo. Deinde, quòd in ijs nō eam beneuolentiā erga me tuā, quæ trium dierū breui cōſuetudine inter nos cōflata eſſet, ſed quæ multorum annorū inſtituta eſſe uideretur, facilè perſpexi. ut valdè mihi gau-deā. me hac mea poſtrema ſenectute tanti, tanq; nobilis viri amicitia auctum eſſe. in eo verò, quo me tàm liberaliter laudas, qui ego poſſum, non omni voluptatis titillatione commoueri? præſer-tim cùm ab eo hæc mea laus proficiſcatur, qui cū ex opt. ſuis ſtudijs, tùm etiam ſanctiſſ. morib. ab omnib. optime audit? his accedit, quòd hęc omnia eo mihi iucundiora accidere, quo minus expecta-bantur. non dubitabam equidèm, quæ tua ſum-ma viſa eſt humanitas, quin inſtitutæ amicitiæ noſtrę optimè memor eſſes: ſed in eo meam expe-ctationem ſuperaſti, cum tuis amantiſſ. literis, quibus omnia mihi, tam amice, tam benigne pol-liceris. tametſi hoc poſtremum non paruo animi dolore me affecit. nàm cùm ego idem, à quo pri-mo ſermone, quem tecum habui, ita te amare cęperim, ut ſi tecū ætatem vixiſſem, hanc animi

propen-

propenſionẽ erga te mei, quàm oculis, vultu, verbis deniq; præſens facilè perſpexi, ut tibi prior non ſignificarim, tuãq; epiſtolam meæ literæ nõ anteuerterint, non leuiter cõmoueor. quòd verò tàm liberaliter operã tuã mihi offers, ac quoties opus ſit, eã te præſtaturũ affirmas, non ſolùm mihi gratũ, ſed etiam periucundũ eſt. quã tuam tã benigni animi ergà me tui voluntatẽ, eo, quo tu, hoc eſt amiciſs. facis animo, contrà ego meã tibi recipio, atq; offero. in quà nihilominus, quoties res ferat, te quicquã à me, quàm ego ſim à te deſideraturus, ſinã deſiderare. Madio tuo nomine ſalutem dixi. is non ſolũ eam tibi remittit, ſed gratias agit, quód in tuis ſcriptis tàm de ſe honorificã facis mentionem. Vale IIII. Non. April

B. R. HIERON. ZOPPIO S. D.

CVM heri forte ad meum (ut dicunt) impreſſorem veniſſes, ac ut oculos in foliũ quod tum prelo deſcribebatur, coniecisti: librarij mendum offendiſſes, meq; de eo nondum tibi cognitũ, peramice (quæ tua ſumma eſt bonitas) commonefeciſſes: ſcis quæ multa poſtea in eam rem ultro, citroque à nobis habita ſint: in quib. cum ego quererer multa ad eum modũ in toto opere, ut qui quaſi memoriter percurrerẽ, me eſſe fugitura: doleremque, qui mihi in eo corrigẽdo, vel honeſta mercede ꝓpoſita operã daret, ha bere

habere neminem: continuo ipſe tuam humaniſſime mihi obtuliſti: atque ita, ut vere, atque ex animo eam offere videreris: cui ego, ut debui, maximas gratias egi: cumque etiam, ſi ea uterer, non nullam me tibi eſſe relaturum dicerem (etſi cum, vel maximam retuliſſem, neque iſti tuæ tantæ humanitati, neque animo erga te meo ſatisfeciſſem) conſtanter negaſti: te nulla alia mercede ad hoc mihi officium præſtandum, quàm qua tuapte natura ad omnibus modis de omnibus literatis viris ample promerendum uti ſoles; prorſus adduci poſſe. tum ego varie affectus ſum: tuo enim iſto officio valdè indigebam: contra verò ruſtice, ne dicam ingrate, facere videbar, ſi id gratis à te accepiſſem: atque ita tibi par in remunerando, atque in accipiendo fuiſſem, non eſſem. tamen cum hoc ipſe nequaquam ferres, ego vero etiam dum tuo iſto benigniſſimo in me animo plurimum deberem, volui etiam tibi accipiendo magis debere: etſi nihilominus interdum grati animi eſſe videtur, cũ aliorum benignitatem ad ſe admittit, quàm etiã cum in alios quicquam ipſe benignius confert. Quare Zoppi, & ne inhumanus videri poſſem ſi tam promptæ benigne faciendi naturæ tuę nõ obſequerer, & parum prudens, ſi mihi in tanta re non optimè conſulerem, ſtatui, ut tu iubes, quando ut ego velim non permittis, tua ope

ra

ra uti:ſed ea tamen ingenuè, atque perliberaliter uti. videlicet ut tantum illud folium, quòd prelis eſſet ſubijciendũ, ipſe percurreres: prima vero reliqua, in quibus ſummus labor eſt corrigendis, ego perpurgarem.ut quæ me ex nimia, ac frequenti eorum ſcriptorum lectione perperam, atque inuerſe poſita falleret, ea ut nouus in ea lectione facilè deprehenderes, atque in ſuum certum locum reponeres. Sed hoc omne ea tamen ratione, ut quam gratiam a me tibi referri nullam permittis, eam ſaltem, ut in perpetuum, quod facturus ſum, habeam, ne graueris. Vale.

B. R. THOMAE MVSTIO S. D.

CIRCVM maximum, caſtrum prætorium, Traiani, atque Claudij portus, quos mihi inſpiciendos miſiſti, mea cum ſumma delectatione vidi. Pyrri verò Ligorij libellum, in quo nõnullas etiam Romæ veteris partes deſcribit, non mea item ſine magna voluptate legi. is mihi quidem vir ſumo uiſus eſt iuditio: qui in eorum locorum deſcriptione cum auctores inter ſe temporum varietate ſæpius diſcrepent, id quã obrem fiat, prius ratione allata, ſuum poſtea interponens iudicium, ut ſe res habet, mea quidẽ ſentẽtia vere dijudicat. Sed redeo ad eius integrã, cuius exemplum Cardinalis tuus ſibi effingi uelle dicitur, atque ea ratione ab uſque Roma ipſa

exempla

exemplar huc afferri iuſſit. Equidē Muſti, ſi quod ſentio, mihi tecum dicendū eſt, illi auctor eſſem, ut ex ſolida aliqua materia opus illud extrui iuberet: videlicet, ut in tabulato, quantum id ſatis eſſe videretur, ſeptem colles ex aliqua materia attolerentur. poſtea, quę edificia publica, quæ priuata, quæ ſacra, quæ non in iјs eſſent, conſtruerentur. ita fieret in planicie, ut omnium ædes, templa, baſilicę, Thermæ, ac reliqua loca ex eadem materia ſuis ſingulis nominibus aſcriptis informarentur. qua una mea effingendi ratione omnia planiora haberentur. Continuò .n. cum vijs, multa alia, quæ teguntur, perſpicue cernerentur: deinde inſulæ, à coniunctis ſecernerentur. præterea queque ædium facies in ſuam regionem commode collocarentur. certè proſpicientibus, cum omnia diſtincta eſſent, neque, ut in coloribus, alia alijs inculcarentur, & locorum cognitionem planiorem, & ad videndum delectationem maiorem haberent. adde ad aſpiciendum etiam commodiorem uſum, nam quæ in ſumma tela depicta pars eſt, niſi ſcalis adhibitis, haud facile cerni poteſt. Sed redeo ad tua exempla, ea ſimul unà cum libro tibi remitto, gratiaſque, quòd eorum copiam mihi tam benignè feceris, minimè vulgares ago. Vale.

B. R. ALYS. DVRELLIO S. D.

VT à te nudius quintus diſceßi, ruri ſum vindemiam curans. quæ non plenis labris hoc anno exundabit. Vites enim, cuiuſque generis (ut planè ſcis) in primis autem aureolæ, quæ apud nos in maximo ſunt precio; ex ſuperiori illo hiberno frigore ad ipſas radices interiere: ut noſter congius ex prelis ipſis ad tres noſtras libras peruenerit; amplius etiã, ut audio, alibi. meus tamen ager in vite minus, quàm in ſegete ſenſit. quem ſpero, quantum mihi in ea detraxerit, tantum in vino eſſe repoſiturum. Ego puto te mecum duas iſtas ferias per tuos diſcipulos eſſe poſſe. quare te expecto. Vale. ex meo Quartiſano.

B. R. ALOY. DVRELLIO S. D.

ITA eſt Aloyſi, quemadmodum ego tibi dicebam, de verbi aſcribere ratione. ut is tantum aſcribat, qui ſuperiora ſcripſerit, non ut qui alienis literis aliquid mandat aſcribi, ipſe aſcribere dicatur. nam quod ad ea loca, quæ adducis ad Atticum, nihil meæ ſententiæ aduerſantur. primũ inquit. Terentia tua magnos articulorum dolores habet. & te, ſororemq;

remque tuam, & matrem maxime diligit, ſalutemque plurimam tibi aſcribit. & Tullia deliciæ noſtrę. ijs.ſ.literis, inquit Cic. quas ad me ſcribūt. nō autē his, quas a me nūc tibi miſſas, legis, tibi ſalutem aſcribunt, utraq;.n. aberat. Ita, & in ſecundo loco cum ait. Alexis, quòd mihi totięs ſalutem aſcribit. eſt gratum, id eſt, in ijs item literis, quas tuo nomine mihi ſcribit. is enim puer Attici amanuenſis erat. vel fortaſſe cum ab eſſet Alex. ſcribens ad Atticum, ſemper adderet, ut ſuo nomine Cic. ſalutaret. vt prorſus videas, non recte dici, ſalutem quibus iuſsiſti, omnibus dixi. qui contra eandem tibi aſcribunt. quia nihil ipſi ſupra ſcripſerant. ſed dicendum fuiſſe, qui contra, ut tibi eandem aſcriberem, iuſſerunt. Vale.

B. R. ALOYSIO DVRELLIO S. D.

EN tibi Aloyſi, idque paucis, neque.n. res eſt admodum obſcura, quid ſit ſeruum raſo capite pileum capere, quique pileati ſerui dicantur. mos fuit apud Romanos, ut ſeruis, cum manu mitterentur, caput abraderetur, atq; ipſi poſteà pileum in illud induerent. quem morem Plautus attigit in Amphitrione in poſtremò primę ſcenæ carmine, ubi Soſia exoptat, ne ab Amphitrione quoq; herò ſuo agnoſcatur

ſtatur, ut liber fiat. Plauti verba hæc ſunt.

,, Ibo ad portum, atque hæc, ut ſunt facta, he-
,, ro dicam meo,
,, Niſi, & is quoque me ignorabit, quod ille fa
,, ciat Iuppiter,
,, Vt ego hodie raſo capite caluos capiã pileũ.

Hoc eſt (inquit Scoſia) ut liber fiam. quem morem etiam Liuius in poſtremò quinto quintæ decadis libro planius explicat, ubi dicit. Pruſiam Regem pileato capite Romanorum legatis obuiam ire ſolitum, ut qui ſe Romanorum libertum profiteretur. ſcis enim ſeruos, poſtquàm libertate donati ſunt, libertos vocari. Liuij verba tibi adducere placuit, ille igitur.

Polibius eum regem indignum maieſtate nominis tanti, tradit pileatum capite raſo obuiam ire legatis ſolitum, libertumque ſe Po.Ro.ferre. & ideò inſignia ordinis eius gerere. illud ego addo, me de Iulio Scaligero doctiſſimo viro, audiſſe aliquando, ſeruos illos capillos poſtea extra vrbem certa porta efferre, atq; humi fodere ſolere.

Hunc quoque morem raſo pilei accipiendi capite, yſeruaſſe videntur, qui aut naufragium feciſſent, aut periculoſiſſimam maritimam tempeſtatem vitaſſent. Vnde ille.

,, Gaudent quoque vertice raſo
,, Garrula ſeruati narrare pericula nautæ.

Quaſi qui pro libertate donata vitam à Deo

receptam ſignificarent. Quidam etiam ſerui pileati venibant. ut qui in bello capti eſſent, coronam in venditione geſtabant. quorum pileus id præ ſe ferebat, ut venditor in eorum venditione nihil emptori ſe præſtaturum ſignificaret. Vale.

B. R. ALOYSIO DVRELLIO S. D.

CVM *uaria lectio ſit in eo Virgilii uerſu, de quo ad me ſcribis,*

„ Nec ſeruata fides cineri promiſſa Sicheo.

alii enim Sicheo, alii Sicheio, legunt, utra uerò uerior ſit, quæris. Ego Aloyſi lego Sicheo, neq; id pro Sicheio, ut Seruius, & qui Seruium ſequuntur. mea autem eſt hæc ratio. ut Dido queratur, ſe nō præſtitiſſe fidem cineri Sichei, quam Sicheo dederat uiuo. ſe ſcilicet nulli unquàm nupturam, ſi illi ſuperſtes mānſiſſet. id quod etiam, ſi interpūctio fiat poſt cineri, manifeſtè apparebit. legas enim hoc modo. Non ſeruata fides cineri, promiſſa Sicheo, ut diuerſum ſit cineri, & Sicheo, non autem, ut illi ineptè unum faciunt, cineri Sicheo, quaſi Sicheio. opponit enim poeta cineri Sicheo. Hic meus eſt ſenſus, quem locum etiam in noſtro in quartum Aeneid. librum ita expoſuimus. alii aliud, ut magis illis placet, ſentiant. Vale.

B. R.

B. R. ANT. FERRARIO S. D.

RUMBUS olim Rauennas, atque Aſparagus primas inter alios ferebant. nunc his Cinara acceſsit nobiliſſimus. Patellas Rumbi implebant. Aſparagus quemuis pollicem craſſitudine, caſeum recentem mollitudine ſuperabat. Cinaræ uero ſingulæ ſcitulam complẽt. Stipitis etiam medulla ad edendum tenerrima, atq; guſtui minime eſt ingrata. Taceat Neapolis, Genua, Hiſpania, & ſi quid uſquam locorum præſtantem Carduum profert. Sed heus tu, quid mei libri habent cum Cinaris? in quarum formam tã facile conuerſi ſint? non enim id de illis dici poteſt, quod de Catulli libro dicitur, qui ad Sermionem in Benaco, in Carpionem Piſcem commutatus eſt. certe ueri ſimiliori ratione in noſtris factum uideri poteſt, quando ex foliis utrique conſtant, & ſi earum compoſitione, quæ ſquammas imitãtur, multo ad aſpiciendum pulchriores, quã mei libri ad legendum ſunt ſuauiores. nõ poſſum tamen concedere, ut ita tractantem, atque legentem acutè pungant, quemadmodum tuæ faciunt Cinaræ. ſed multa ſunt, quæ foris horreſcant, atque armentur, intus tamẽ ſuauisſimum præbeãt cibum, in quorum genere hoc Cardorum eſt genus. Quare mihi gratisſimæ accidere, ſiue illæ

 etiam

etiam pro meis libris uenerint. Sed eo multo etiam gratiores fuere, quod maiorem eorum partem meo Tr. dono miſi, quas (ut nuntius retulit) mirificè laudauit. Vtinam autem tibi commodũ eſſet, item ad eum numerum, quanti quanti uenirent, mittere. Sed non facilis uia eſt, neque qui laborem ferendi ferant, facile reperiuntur. ſed ut tibi uidebitur. Vale. Fabrio, atque meis Abioſiis ſalutem. Ferr.

BARTH. RICCIVS. M. ANT. GAMBARONIO. S. P. D.

BAPHII tui orationem, quam in funere noſtri Delphinii, cum omnium ſcientiarum doctiſs. uiri, tum in totius uitæ curſu probatisſimi Franciſcani ſacerdotis habuit, partim ſummo meo cum dolore, partim etiam uoluptate perlegi. dolore, quo tanti mei amici morte quam maxime ſum affectus. uoluptate, cũ eũ uideo ab eloquentiſſ. adoleſcẽte de more laudatũ. cui ſolatio id quoque accedit, quod hũc uideo æquiſſ. pasſibus magiſtrum ſuum breui aſſecuturum. ut quod damni in illo factum ſit, iſte nõ multo poſt ſit optime præſtaturus: in quo neque ego ſeparatim mei amandi totum deſiderium omiſero. quando in hoc meo Bartholomeo illud ſimi optime renouaturus. ad quod mecum mutuo faciendum,

dum, hoc modo uiſus ſum benigne illum inuitare, ut, quemadmodum ego illũ ex eius ſcriptis amare cœpi, ita ille quoque, ſi prius non fecit, nunc me ex meis diligere ĩcipiat. mitto igitur tibi mearum epiſtolarum uolumen, cum ea oratiuncula, quam proxime edidi, quæ illi meo nomine dederis. me uero, ut mutuo diligat, etiam rogabis. Vale, quando non mihi ſatis eſt dicere, cura, ut conualeſcas.

B. R. HIPPOL. ZAFALEONIO S. D.

Vt rationẽ ineo, niſi poſt xv. dies, a quo die conſtitueram, ad uos uenire nõ poſſum, tot enim reliqua uindemia ſibi dies apposcit. partim enim in labro muſta ebulliunt, partim in uuis etiam dum matureſcunt, ut aureũ. Quare ſi ad eum diem tuam abſentiam ſuſtinere poteris, nam de ſumptu, iſtic quoq; domi. es, neq; adhuc ad docendum eſt redeundum, nõ te hora longius reycio. decẽ poſtea reliqui ſunt dies qui in Regienſi, atq; Mutinenſi itinere ſunt cõſumẽdi. Quin ſi uacaret, cogitabã etiã Patauium a noſtro domum reditu, ut ipſe tuos, ego uero meum Cardinalem qui III. id. Septemb. cum ſororibus Pr. ad Balnea eſt diſceſſurus, uiſeremus. Quid uero ſi Vitrianius quoque ſe tertium comi-

tem adiungat? ò feliciſs. Iter ſcribas igitur mihi, ut ſciam an mihi cum Bacco properandum, an lentius ſit agendum. Vale. Ferrariæ. non. Septemb. M D L X I I.

RICCIVS ZAFALEONIO. S. P. D.

COMACLIENSES *auratæ, craſſiora illa, illa ſalſamenta diffractis uimineis cratibus aufugere, abiere, omnia ad unum in ſuum regnum rediere, noſq; in ſicco reliquere. neque inde hoc anno ulla ui Ventorum amplius educi poſſunt. Vides enim quid Sacratius Cardinali noſtro reſpondeat. ſe iam prouinciã illam alteri decreuiſſe. ut Dij illum male perdãt, qui nos peſſime perdidit. Cum tamen eas literas Cauallerio legendas miſi. reſpondit, nihil eſſe, quod uerear, eam enim operam ſe nobis nauaſſe inquiens, ut ille alter cedere cogatur, neque factus, etiam ſi factus ſit, nos uero ueri hominum piſcatores futuros. ego tamen ſi non tantorum piſcium, quam hominum malim. quando is tamen piſcatus ad hominum quoque uictum maxime facit, non multo minus hunc, quam illum cupio piſcatum. Quare ipſe tantum animas Deo, nobis uero eius generis piſces, qui maxime probantur, expiſcaberis. utrum autem difficilius, non ſatis dixerim. magis enim illorum animi in peccato domi-*

natur,

natur, quam piſces in ſuo amplo mari libere curſitantes peruagantur. Si Petri tamen retibus integris utaris, magnam utriuſque generis piſcium facies predam. Hactenus de Comacllenſibus. de Arcoao melior eſt ſpes. Tridento a Canania ad noſtrum Cardinalem literæ expectantur quibus tuo illi illam det. ecquid aliud? nihil, niſi ut Valeas. Vale.

B. R. HIPPOL. ZAFALEONI. S. D.

PROFECTO *non una hominum eſt in rebus conſtituendis deliberatio. in ſingulas enim horas ſemper aliquid accedit, quo quis quid conſtituerit, commutare cogatur. Ego tibi ſcripſeram, ut me Bononiæ expectares ad decimum diem, unde poſtea Mutinam, atque Regium in reditu uiſeremus. ut uero domum rediſſemus, Patauium peteremus. nunc tota hæc ratio commutata eſt. ac retro ordine itinere uerſo, commodius nobis accidere uidetur. Quare te expecto, ut Patauium proficiſcamur, cum uero inde redierimus, ego cum Vitrianio, ſi minus per tua ſtudia te nobis comitem præbere potueris, reliquam meam conficiam peregrinationem. Vale.*

B. R. LAVR. FRIZZOLEO. S. D.

CENTIES, & amplius diem illum, ò quo a nobis Romam diſceſſiſti, felicem, fauſtūq;. una, una Roma eſt, in qua uiri extolluntur, & ſumma fiunt miracula. ut etiam ſtipulatores ad Cardinalatum perueniant. in cæteris urbibus, ut in minorib. paludibus ſatis eſt, ſi minutos piſciculos etiam ſi aureis hamis piſcaris, capias. in una Roma, uel ferreis Balenæ capiuntur. ut ego rectè olim hoc tibi diuinarim. ſed hoc initium eſt. quod tamen tibi ualde gratulor. cui medium, huic uero extremum æque, ut reſpondeant, ita cupio, ut ea quoque poſſim iam tibi gratulari. ſed cum uenerint, non enim dubito, quin meo tempore ueniant, eorum gratulationi non ſum defuturus. Contra ego nunc a te expecto in laudem Falopij noſtri unam ex tuis odis, quas ex intimis ſenſibus eruere ſoles. fac, ſi me amas, ne fruſtra expectem. Vale. Antonianioq; noſtro ſalutem.

B. R. IO. VITRIANIO. S. D.

NICOLAVM iſthuc miſi dedita opera. qui mihi agninas eius generis pelliculas, quas uulgo morticinas appellant

 ueſti

neſti ſubſuendas, emeret. te rogo, ut cum illo ſis ad iſtos pelliones, uideasq; in primis, ut illæ eo nigrore ſint, quæ uel piloſum ſericum ſuperent. pilo uero incompoſito, quiq; magis undulam, quàm aquam æquabiliter profluentem imitetur. præterea ne tineis attactæ ſint. De noſtris autem montibus, uide ne abortum faciant. mures modo pariant, ſed eius tamē generis, quos mihi ſignificas. ſed ego metuo, ne potius in fumum eum, qui hominum uultus tam ridicule depingit, euaneſcāt. Vale. Ferr.

B. R. TIRESIO S. D.

QVANTVM *Clientes patronis ſuis debeant, non te fugere certò ſcio. hi enim in illorum fortunis in iudicijs tuendis omne ſtudium, atque laborem adhibent. quid ab illis ſit, diligenter exquirunt. quid contra aduerſarius obijcere poſſit, etiam diligentius animaduertunt. in ſuo autem defendendo, nihil omittunt. in aduerſario item refellendo, omnia in cauſam ſuam conferunt. Quare cum ego uno Contulio meo, & in cauſis Patrono, & extra cauſas amico etiam familiariter utar. huic omnia commoda non ſolum optare, ſed etiam, in quo poßim, prodeſſe debeo. Is unicum habet optimæ indolis filium, quem tibi in humanioribus ſtu-*

dijs

dijs inſtituendum mittit. Quoniam verò pater eſt, & unici pater eſt filij, huic cum omnia præſtet, non paterno tamen amori ſatisfacit. Quare fit, ut cum nihil tuo ſtudio, tuæque diligentiæ diffidat, tamen a me contendat, ut eum tibi diligenter commendem. Te igitur rogo, ut mea quoque cauſa, tuo iſti diligentiſsimo in eum ſtudio aliquid etiam addas, atque eum in tuis habeas interioribus diſcipulis. Quod ſi feceris præterquam, quòd mihi gratiſs. erit: polliceor tibi Contulium eius parentem (præter conſtitutam mercedem) gratisſimum uirum quotidie te eſſe cogniturum. Vale. idibus Decemb.

M D L X I I.

FINIS.

ERRATA. CORRECTA.

conra	*fol.*1	*contra*	1
homontius	2	*homonculus*	2
uirum	8	*uerum*	8
pollictor	9:	*polliceor*	9:
cogunt	13:	*coguntur*	13:
eondenauit	15:	*condonauit*	15:
ea	16	*eam*	16
meum	19	*meorum*	19
reddeat	20	*redeas*	20
ſgumbros	24:	*ſcombros*	24:
Heroius	25	*Heroibus*	25
elapſus	25:	*lapſus*	25:
pede	26	*in pede*	26
permittente	26:	*permittentem*	26:
ſumptæ	31:	*ſumptu*	31:
Iudices	32:	*cæteri Iudices*	32:
noluit	53	*uoluit*	53
ſeccurrius	53	*ſecurius*	53
canerem	54	*cameræ*	54
ſummam	56	*ſumam*	56

Cætera ſunt leuia errata, quæque lector ſua prudentia facile animaduerteret, atque corriget.

Adi 19 di Agosto 16[illegible]

A La Luera ben mio